VICTORIS GISELINI

HYMNORVM

LITVRGICΩN,

SIVE

PRECATIONVM

audiendo Sacro accommodatarum,
ex pijs veterum & recentiorum,
Poëtarum ſcriptis, liber.



ANTVERPIÆ
Apud Martinum Nutium, & Fratres.
ANNO M. DC. XX.

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,

A C

REVERENDISSIMO VIRO

D. ANTONIO

TRIESTIO

EPISCOPO BRVGENSI

IACOBVS LERNVTIVS

S. P. D.



Arenti meo piæ recordationis IANO LERNVTIO multis abhinc annis hic VICTORIS GISELINI Hymnorum, siue Precationum Liturgicῶn liber traditus fuit, ea lege vt eum recenſeret & Ariſtarchi officio fideliter atque amicè

A 2 fun-

fungeretur: quod auctoris adspectu non solùm fecit (cum eo enim illi arctissima olim fuit necessitudo atque familiaritas) sed eundem etiam nonnullorum poëmatiis adiectis, nec non quibusdam suis insertis auxit, ea mente vt typis describeretur, & in publicum prodiret. Verùm quod voluit (quo impeditus fato me fallit) exequi non potuit. Iam verò mihi eius votis satisfacere, & lucubrationes vtriusque ab interitu vindicare conanti calcar magnopere addidisti Reuer^me Præsul; dum eas lectas probasti, laudasti, & vt in ora virorum exirent, aperteque luce diu negata fruerentur dignas iudicasti. Quod mihi animi in te mei propensionem ac affectum declarare desideranti ex optato euenit, & me (licet statueram) magis magisque ad inscribendas eas tibi impulit.

Cape igitur non munus, sed pignus ratum, vtinam gratum beneuolentiæ erga te meæ hunc libellum, quem sub nomine

nomine tuo, ac vindiciis adſertum tuis in lucem produco, vt per te alij, qui veræ ac antiquæ pietatis, ſimulque ſacræ poëſeos ſtudio ducuntur, eo vtantur fruantur, non minùs pió, quàm docto & fructuoſo. quod ita audacter citra arrogantiam profero, quia pro tali habetur à R. T. D. quæ inter pios pietate, inter eruditos eruditione, nec non inter candidos humanoſque candore & humanitate eximiè præſtat. Sitque meæ in te obſeruantiæ ac obſequij palàm præſentis atque ſubſequentis æui mortalibus teſtis mutus, non mutus, ac maneat tua auctoritate & patrocinio mũnitus, ad multa ſæcula perennis: Tu quoque, Nobiliſſime & Reuerendiſſime Antiſtes, nobis ſoſpes & hoſpes ad Neſtoreos annos. Vale Brugis Morinorum pridie Kal. Septembr. anno à Chriſto nato CIↃ. IↃC. XX.

AVCTORVM, E QVIBVS hicconcinnatus eſt liber, ſyllabus.

Aelius Crottus.
Alcimus Auitus.
Arnoldus Laurentius.
Carolus Langius.
Dominicus Lampſonius.
Drepanius.
Franciſcus Hamus.
Franciſcus Modius.
Georgius Buchananus.
B. Gregorius.
Hieronymus Faletus.
Hieronymus Vidas.
ex Hymnis Eccleſiaſticis.
Iacobus Auguſtus Thuanus.
Ianus Lernutius.
Ioachimus Bellaius.
Ioannes Auratus.
Ioannes Ludouicus Viues.
Iouianus Pontanus.
Iulius Cæſar Scaliger.

M. An-

M. Antonius Flaminius.
M. Antonius Muretus.
Nicolaus Grudius.
Petrus Baccherius.
Petrus Lotichius Secundus.
Pontius Paullinus.
Prosper.
Salmonius Macrinus.
Scæuola Sammarthanus.
Scheda.
Sedulius.
Stroza filius.
Victor Giselinus.
Zanchius.

APPROBATIO.

HYmnorum istud opusculum cùm fidei Catholicæ Romanæ nõn deroget, & pietati promouendæ conducat, typis committendum videtur. Actum Brugis 9. August. 1620.

Seruatius Quijnckerus S. Th. L.
Ecclesiæ Brugensis Canonicus
& Archipresbyter, ac librorum
Censor.

PRIVILEGIVM.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA, Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimi Belgarum Principes diplomate suo sanxerunt, ne quis *Hymnos Liturgicos, siue Precationes audiendo Sacro accommodatas, ex pijs veterum & recentiorum Poëtarum scriptis concinnatas*, præter Martini Nutij & fratrum, Typographorum Antuerpiensium voluntatem intra sexennium in Belgio imprimat, vel alibi locorum impressas in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalésve exponat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & alia graui pœna multabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 28. Augusti, anno 1620.

Signat

De VVitte.

HYMNORVM SIVE PRECATIONVM LITVRGICΩN LIBER.

HYMNVS I. Ad inuocandam Sanctissimam Trinitatem.

Vict. Giselinus.



VM profana silent, pioq; cultu
Feruent templi adyta, & fora & platéæ,
Cassa nomine iam suo platéa:
Dumq; continuò incitata pulsu
Æra tinnula deside è veterno
Ad ieiunia publicosq; cœtus
Rudem cottidie excitant popellum:
Quid me tum potiùs lubentiusq;
Poscis, summe, vt agam, Pater? nisi & me
Abducam studiis procul profanis,
Mentisq; igniculos per astra librans
Cælestis Sophiæ incitem choréus?
Nam per compita, perq; templa & aras
Votis, suppliciis, litanijsq;
Pacem poscere, bella deprecari,

Et quæ sunt mala sauiora bellis.
At tu SPIRITVS *alme Patris almi,*
Et Nati vnica Flamma, tu canentem
Affla numine præpotentis aura;
Sanctis totus vt ignibus liquescam.
Fas sit Pontificis tremenda summi
Sacra commemorare, seu quod ara
In crucis proprio obtulit cruore:
Seu quod discipulosq; posterosq;
Sanxit perpetuo integrare ritu.
Sit fas interea benigne IESV
Tuis mî lacrymis cor irrigari,
Tuis vulneribusq; sauciari;
Tuo è pectore profluente lympha
Et cruore animi lauare sordes:
Vt castis manibusq; & ore puro
Tuis sæpius adsidere mensis
O per te liceat, tuisq; tecum
Diuinis epulis frui hoc in orbe.
Sic mî viuere suaue erit Redemptor,
Sic mori mihi deinde erit suaue.

HYMN. II. Meditatio Matutina, ad Christum Saluatorem.

Franc. Modius.

Nate hominis venerande, Dei certissima proles,
Lux, quæ perpetuo lumine clara micas:
Aduentu tenebras cæci qui discutere orbis
Dignatusq; hominum sæcla beare tuo es:

Quæ

Qua lingua, quo te digno ſatis ore loquemur,
Factaq́ quo dextra prodigioſa tua?
Seruit ab occiduo cælum tibi limite ad ortum,
Poſtaq́ qua medio terra fretumq́ loco.
Sol equitans tibi dat claro ſua tela diei,
Inq́ ſuo gaudet plurimus eſſe polo.
Pellit luna tibi taurina fronte tenebras
Noctis, & hinc ſpatium conficit ipſa ſuum.
Arua tibi fruges; ſilua dant paſcua; montes
Flumina: dant valles, quæ tibi quæque poteſt.
Quin etiam ſiqua eſt homini fiducia de ſe,
Acceptam hanc donis fert etiam ille tuis.
Quod te, CHRISTE, *precor per quæ tibi gratia noſtri*
Olim hominis ſuaſit induere ora Deum.
Fac vehemente adeò te amplectar amore viciſſim,
Olim hominem exutus cælica vt arua petam.

III. Ingreſſi templum.

Ex Drepanio.

Ad te polorum conditor
Clamore ſupplex intimo
Vocem, precemq́ dirigo.
Aurem benignus commoda.
Nam ſi tuis oraculis
Indigna geſto pectora:
His ecce ſum ſimillimus,
Imo vorantur qui lacu.
Audi precantis anxia

Pater supreme murmura;
Dum templa cæli ad ardua
Elata tollo brachia.
Ne me scelestis, obsecro,
Et criminosis cœtibus
Mixtum trahas ad infima
Pœna voracis tartara:
Sed expiatum sordibus
Vni placere da tibi:
Vt functus isto corpore
Tecum perenne gaudeam.

IV. Adspergentis se aqua lustrali.

Ex Hymnis Ecclesiasticis.

Æterna & alma Trinitas,
Nostros reatus elue,
In cuius ipsi nomine,
Vnda salubri tingimur.
Arce furorem Dæmonis
Signo recentis fœderis:
Semel receptos in tuam
Fidem tuere perpetim.

V. Audituri Sacrum, siue mentis ad Deum erectio.

Vict. Giselinus.

Qui colis cæli Pater alme templa,
Deijce huc mites oculos: tuiq;
Quotquot hic Nati pia sacra iusso
More frequentant,

Subuehe

Subuehe in cælos Deus; & precantes
Da tui adspectu solii pauere,
Spiritus & mox animosi inanes
Ponere fastus.
Da genu flexo, lacrymisq; obortis
Criminum fœdam illuuiem fateri
Sponte: da pura tibi vota pura
Mente litare.
Mens enim fracta atque humilis, fauore
In tuo summam sibi spem reponens,
Gratior longè est holocausto, & omni
Sanguine fuso.
Victima hac iras tibi sedat vna,
O pater. tu nos sine victimâ istâ,
Dum tui Nati sacra iussa obimus,
Ritè litemus.

VI. Alia.

Ex M. Antonio Flaminio.

IESV *benigne feruidas*
Precationes, lacrymas,
Et sancta vota da mihi.
Vt terra Solis ignibus
Hiulca; sic animus meus
Afflictus, ager, aridus
Dulcissimum rorem tuum
Exspectet. O salus mea,
Ne, quæso, more iudicis
Quid egerim, quid dixerim

Quid cogitarim, pondera:
Peccata sed mea omnia
Tuo cruore deleas.
Me vulnerum sanet dolor
Tuorum: amara mors tua
Cordi meo dulcedinem
Instillet, vt crucem meam
Et fortis & libens feram;
Et vox agendis gratiis
Noctes diesq́ꝫ personet.

VII. Pro vera contritione.

Ex Pontio Paullino.

Quis mihi sufficiet lacrymarũ ad lumina fontẽ,
Deflere vt possim facta diesq́ꝫ meos?
Nam mihi pro meritis acta per crimina vita,
Ingentes plagas flumine flere opus est.
Rumpe mei lapidem cordis saluator IESV,
Vt mollita pio viscera fonte fluant.
Tu, precor, ô fons CHRISTE *meis innascere fibris,*
Vt mihi viua tua vena resultet aqua.
Nam tu fons, quo vita fluit; quo gratia manat,
Quo lux omnigenas funditur in populos.
Qui te CHRISTE *bibent, dulci torrente refecti*
Non sitient vltrà: sed tamen & sitient.
Nam quos diuini satiauit copia Verbi;
Hos dulcedo magis pota sitire facit.
Tu Domine ergo Deus, panem fontemq́ꝫ salutis
Da sitiam semper, semper & esuriam.

Totus

Totus enim dulcedo Deus, dilectio CHRISTE *es:*
Inde replere magis, quàm satiare potes:
Et desideriis semper sitiendus auaris
Influis, exciperis: nec saturatur amor.
Atque ita perficitur pietas, sine fine vt ameris
CHRISTE, *tuis vitam qui sine fine dabis.*
Da mihi nunc lugere Deus, fletuq; salubri
Præserere æterna semina lætitiæ.
Hoc precor, hoc potiùs maneat mihi luctus in æuo:
In quo quidquid adest per breue transit iter.
Ite procul læti. flentum consortia malo:
Vt breuibus lacrymis gaudia longa metam.

VIII. Eâdem indeptâ.

Zanchius.

O dulces lacrymæ, quîs mollia pectora pascit
Mitis Amor, cellis dulcior Hybla tuis!
O dulces gemitus! ô dulcia vulnera cordi!
O mihi vitali morte recepta salus!
Quis credat? præter solitum mihi dulcis amaror
Et sapit, & dulci est parta dolore quies.
Non vmquã, ô cælestis amor tua vulnera desint:
Non vmquam dulcis deserat ossa dolor.

IX. Confessio.

Ex Alcimo Giselinus.

CHRISTE, *cui proprium est misereri & parcere semper:*
Qui figulus massam potis es reparare caducam,
Et confracta diu, ac resoluta refingere vasa:
Qui procul à caulis, longoq; errore vagantem
Qua-

Quaris ouem: vtq; suo gaudens reddatur ouili
Sarcina fit, qua cura fuit: qui sæpè repertum
Seminecem, dira spoliatum fraude latronum,
Iumento impositum, ac infuso oleoq; meroq;
Vulneribus sanas, atque in sua pristina reddis:
Tu bone nos procul à septis per deuia lata
Errantes, tandem, ô Pastor, miseratus, ouili
Redde tuo. tu nos vasa afflictissima, fœdo
Deformata vsu, forma dignare priori
Atque vsu; tu semineces & mille cruentos
Vulneribus, nudosq; in mœnia tuta reporta
E manibus siluisq; feris Acherontis auari.
Nam tua si medico curabit vulnera fotu
Gratia designata oleo, sapientia vino;
Nulla mora, exsangui decedet corpore languor.
Ergo qui non vis moriendi crescere caussas,
Nec peccatorum crudelia funera quaris,
Sed mage conuersi vt viuãt; blãdo excipe vultu,
Quos confessa tibi gemitus pia pectora fundunt:
Vt quondam tecum, passa sub tempore carnis,
Proximus immani pendens de stipite latro,
Quem non culpa tibi similem, sed pœna tenebat,
Confessi venia supplex est criminis vsus.
Ille etenim, non vt membris ita corde ligato,
Etsi confixas clauis extendere palmas
Non potuit, liber mentem cum voce tetendit.
Nos quoque perpetua consortes effice vita,
Inuida quos hostis paradiso depulit ira;
Fortior vt patria reddat tua gratia sedi.

X. Alia.

X. Alia.

Ex hymno B. Gregorij.

Scrutator alme cordium
Infirma tu scis virium,
Ad te reuersis exhibe
Remissionis gratiam.
Multùm quidem peccauimus:
Sed parce confitentibus.
Ad nominis laudem tui
Confer medelam languidis.
Memento quòd sumus tui,
Licet caduci plasmatis:
Ne des honorem nominis
Tui, precamur, alteri.
Aufer malum, quod gessimus:
Auge bonum, quod poscimus:
Placere quò tandem tibi
Possimus hic & perpetim.

XI. Alia.

Petr. Lotichius Secundus.

IESV *redemptor ac protector omnium,*
Idemq́ lux mortalium,
Te (nam quid vltrà est?) noxijs heu plurimis
Contaminatus inuoco
Iam iam dolet, quod egi: iam iam pœnitet:
Errata iam nosco mea.
Vt feruida vi Solis vsta languidas
Ponit comas Amaracus:

Sic

Sic mœror oſſa deuorauit intima,
Totuſq; CHRISTE langueo:
Penituſq; contabeſcerem, niſi tua
Conſiderem clementia.
Miſerere fons ſalutis, & dulci meum
Cor irriga ſolatio:
Animumq; ſauis libera terroribus,
Tuoq; reple ſpiritu.
Te luce prima, nocte te ſera canam,
Lyraq; gratias agam;
Quâ natus ille ex Iſaci nepotibus
Vates tuam potentiam,
Victorias cecinit tuas & innuba
Te naſciturum Virgine.
O ſaucia ſpes vna conſcientia
Cruore me laua tuo.

XII. Ad Introitum.

Ex B. Auguſtini Meditat. cap. 11.

Vict. Giſelinus.

Te Patrem ingenitum bis-Geniti tui,
Te Natum vnigenam ingeniti Patris,
Te ſacrum Paracletum
Laudamus, benedicimus.
Tu nos è nihilo magne Pater creas;
Tu Nate proprio ſanguine liberas:
Afflatu Paraclete
Tu nos ſanctificas tuo.
Sunt trine-vne Deus veſtra opera vnum opus,

Æquè

Æquè principio & fine carentia,
Spectata omnibus oris,
Cunctis cognita sæculis.
Hac propter decus & gloria te decet,
Te nos carmine, te grati animi sonis
Vnum nocte dieq;
Laudamus, benedicimus.

XIII. Hymnus Angelicus.

Ex Iouiano Pontano.

Pax homini, tibi CHRISTE *decus, tibi gloria soli*
Vera Dei proles, verus & ipse Deus.
Te colimus, tibi diuinos largimur honores:
Et nomen felix ducimus esse tuum.
Tu casus, tu damna leuas: tibi limen Olympi
Panditur, & cæli libera facta via est.

XIV. Ad eundem hymnum precatio.

Zanchius.

O mundi venerande Sator, mens alta Parentis,
O decus, ô nostra CHRISTE *salutis iter.*
Te liquidi spatia ampla poli, te maxima tellus
Tollat & immensis finibus Oceanus.
Te recinat, quodcunque tuo de munere viuit,
Quidquid & in toto prouidus orbe creas.
Tu puram in tenebris lucem & caligine cæca
Fundis, & ætherea lumina clara face.
Tu miseros tu morte tua formidine mortis
Soluis, & à lethi limine restituis.

Mor-

Mortalesq́ artus terra moribundaq́ membra
Condis, & in mutos dissoluis cineres:
Et longo sator ipse iubes pòst tempore rursus
Surgere non vlla dissoluenda die.
Tu Stygij fera regna domas, tu monstra Draconis
Frangis, & inuicta claustra tremenda manu:
Et felix spolia ampla refers super æthera victor:
Et nitet exuuijs regia celsa nouis.
CHRISTE *parēs tu templa tibi, tu pectora nostra*
Effice: & ipse tuo numine corda reple.
Da mentem mactare piam, da mente litare:
Euincant nostræ thurea dona preces.
Proq́ focis cantata tibi noua carmina fument:
Stillet & è nostris myrrhea gutta gēnis.
Annue magne, precor, tua per cælestia dona,
Perq́ tuam Matrem cælicolasq́ choros.

XV. Alia.

Ex M. Ant. Flaminio.

Æterne summi Numinis
Fili, ô IESV, *siderum,*
Terræ marisq́ conditor,
Nil vasta cæli immensitas,
Nil magnus orbis continet,
Non dextera factum tua.
Tu Patris in sinu sedens
Alis, gubernas omnia,
Tu charitate maxima
Nostra misertus miseria

Mortale

Mortale corpus induis,
Diraq́; suffixus cruci
Nos morte vindicas tua
A sempiternis ignibus.
Tu morte victa regiam
Reuersus ad tuam, simul
Tui colentes aurea
In cæli parte collocas.
Te cœtus omnis cælitum
Noctes dieśq; concinit.
Te sempiternus Spiritus
Salutis auctorem vnicum
Testatur esse: tu quies,
Lumen, voluptas mentium.
Tu pastor, agnus omnia
Peccata tollens, Pontifex
Æternus iram maximi
Sedare præsens Numinis.
IESV tuorum prospera
Cursum benignus, vt soles,
Piasq́; laudes suscipe,
Quas ore puro fundimus.

XVI. Ad Epistolam.

Ex Psalmis.

O beatos, qui sequuntur orbitam legis Dei!
O beatos, qui monenti sponte parent Numini,
Labe puri, nec relinquunt lege iussum tramitem!
O Deus regas labantem, sic monenti vt paream,

A

A tuis attenta iussis nūquam vt errent lumina.
Tum ducem canam æquitatis candido te pectore.
Obsequar tibi: obsequentem tu tibi ne desere.

XVII. Ad Graduale.

Vict. Giselinus.

O æterna Patris Sapientia, quæ potes vna
Præscire & quauis arte vocare tuos.
Tu procul à recto diuersos tramite, quamuis
Ignauos, rectam coge redire viam.
Nec stimulis ô parce tuis, ne parce flagellis;
Dum graue virtutum sponte ineamus iter:
Et pede progressis firmo vestigia tandem
In cæli liceat ponere verticibus.
Da Pater hoc, Natumq́; tuum sic ponè secutis
Da simul & lacrymas gaudia longa sequi.

XVIII. Alia.

Ælius Crottus.

Si me sanguinis in tui lauacro
Fouisti Deus, & crucem sub ipsam
Humanum facinus Patri obtulisti:
Si me morte tua, benigne amator,
Leuastiè tenebris voracis Orci,
Vt consors fierem paterni amoris,
Et tecum fruerer bonis beatis;
Ah cur, cur ego nequam homo, impiusq́;
Aduersor tibi? cur ego has inanes
Carnis illecebras, breuesq́; lusus
Insector magis & magis? laborum

Tantorum

Tantorum immemor, immemor cruentæ
Cædis, quando animam innocens volensq́;
Dedisti, bone pastor, vt gregem ægrum
Seruares medica manu, & referres
Lupi e faucibus improbi dolosi?
Da mihi, oro, Pater alme, inire sanctam
Cælestemq́; fidem: face, vt resurgat
In me spiritus efficax tenaxq́;,
Quo te CHRISTE *sciam vnicum atque adorem:*
Et superstitio absit, & profana
Idola, ecce anima ægra deprecatur.
Cælesti releua manu hæsitantem
Mundi maxime rector & redemptor.

XIX. Ad Euangelium.

Ex Sedulio.

Omnipotens, æterne Deus, spes vnica mundi,
Pande, salutarem paucos quæ ducit in vrbem,
Angusto mihi calle viam: verbiq́; lucernam
Da pedibus lucere meis, vt semita vitæ
Ad caulas me rursus agat; quâ seruat amœnum
Pastor ouile bonus, quâ vellere prauius albo
Virginis Agnus ouis, grexq́; omnis cădidus intrat.

XX. Alia.

Zanchius.

Christe pater, Diuûm atque hominum iustissime iudex,
Da nomen celebrare tuum: da iussa verenda
Diligere, & patrio mentem defigere cælo:

Vt

Vt cum summa dies aderit, te iudice cælum
Scandere, & æternis liceat considere mensis.

XXI. Ad Symbolum Apostolicum.

Stroza F.

Nate Patris summi, quē trinum credit & vnū
Cuncta salutifera turba redempta cruce:
Vipereum qui morte tua scelus abluis, & nos
Ætherea dignos conditione facis:
Da, precor, auxilium Ditis tela aspera contra:
Vindice te nullos fas timuisse dolos.
Tu Patris ad dextrā magno dominaris Olympo:
Tu soboles, tu mens, consiliumq; Dei es.
Tu sine Patre nihil; sine te nihil efficit ille:
Tum sine vtroque sacer nil meditatur Amor:
Quod statuis, statuit Genitorq; & Spiritus: vnā
Vim tribus atque vnum Numen inesse patet.
Est cæli rerumq; Parens antiquior omni
Principio, & nullo tempore progenitus.
Hic geminos erat ante polos, terramq;, fretumq;,
Æthereosq; choros sæcla per innumera:
Omnibus infusus, secretus ab omnibus, idem
Totus in immenso semper vbique fuit.
Quidquid erat, nūc est, & erit quodcūq; per æuū,
Huius deprendi forma modusq; nequit.
Hoc verò haud genito es genitus genitore: nec illo
Diceris æterna conditione minor.
Sic iubar æternum radiatis emicat astris:
Accensoq; simul nascitur igne calor.

Quin

Quin Deus humana dignatus claudier aluo,
Et sine prolifico semine natus homo es,
Factus homo, iunctusq; Deo, consorsq; duorum:
Vt mala deleres crimina sontis Adæ.
Ast, olim Oceani qui se super alta ferebat
Sanctus ab ambobus Spiritus ille venit.
Tresq; licet numero, Deus vnus & vna potestas
Ceu tria de solo Sole venire liquet.
Ergo adsis, faueasq; meis Deus vnice votis;
Si tua sincera Numina mente colo:
Si cæli & terræ, si crederis arbiter vndæ:
Non noceat cælum, terra, fretumq; mihi.
Nil Stygias metuam post vltima fata sorores:
Si pecudum fibras numen habere nego:
Si Genitum verbo fateor, si Virgine natum,
Sideraq; aduentus signa dedisse tui:
Si lethi te læua cano ludibria passum,
Dum pius humano consuleres generi:
Et si flammifero domiti Phlegethontis ab amne
Credimus ad superos te remeasse polos:
Da precor, in cineres vbi flamma resoluerit orbẽ,
Optatum in supera sede tenere locum.

XXII. Ad illud: *Et homo factus est, &c.*

M. Ant. Flaminius.

IESV *beate, Numinis*
Æterna proles maximi,
Quibus tuam clementiam
Efferre possim laudibus?

Tu pulcra linquens sidera
Formata dextera tua
Mortale corpus induis;
Vt ipse terram deserens
Suprema cæli culmina
Conscendam. acerba vulnera,
Crucisq; dira sustines
Tormenta, vt ipse callidi
Serpentis ore saucius
Mortisq; certus; gaudeam
Vita potitus cælitum,
Tuoq; factus munere
Tuus coheres. Fac precor,
IESV *benigne, cogitem*
Hæc semper; vt semper tibi
Summoq; Patri gratias
Agam, pieq; vos colam,
Totaq; mente diligam.

XXIII. Ad verba, *Orate pro me,*&c.

Ex Psalmis.

Annuat ô facili vultu, quacunque rogâris,
Moderator orbis, exitumq; prosperum
Det iustis precibus: thurisq; vaporibus halans
Sit pinguis illi, & perlitet tuã victima.
Protinus in cineres depasta holocausta resoluat,
In astra voluat flamma lucem splendidam.
Mittat opem sancti reserans sacraria cæli,
Et præpotente protegat te dextera.

XXIV. Ad Præfationẽ & sacrũ Canonẽ.

Vict. Giselinus.

Tu nostri misereris, & tuorum
Nil diti operum, Deus. quid ergo
Nos simus, memor esse non graueris.
Nam tui sumus, & negare patrem
Te haud tui potes. At quousque nobis
Irascêre? quousque viscera illa
Illa viscera gratiæ & fauoris
Perges claudere? iam reclude tandem
Illa viscera: & auribus benignis
Hos nostros gemitusq; lacrymasq;
Mitis accipe. iam reclude tandem
Atque huc verte oculos, tuamq; ad aram
Hic tuos tibi cerne prouolutos:
Et quacunque precamur, illa turis
Instar alta petentis ad sedile
Se tuum penetrent, sinasq; odore
Pingui & nectareo tibi litare.
Non enim meritis, pieq; factis
Nostris nitimur, at tuo fauore
Et nota toties benignitate:
Hæc nos mancipia impij tyranni
Quondam, sola tui cruore sancto
Nati vnigeniti redemit: hæc nos
Istius memores redemptionis,
Vota Pontifice offerente nostra
Nati corpore pascit & cruore:

Et pastos, animaq́ʒ se per altum
Librante æthera, cælitum perennes
Delibare epulas dat hoc in orbe.
Hac ipsa, Deus ô, benignitate
Aufer crimina nostra; Spirituśq́ʒ
Tui cuncta mouentis, vre nostra
Duro marmore duriora corda
Sanctis igniculis beati amoris:
Vt iam carea tota te sibi vnum
Impressum cupiant tuosq́ʒ amores:
Vnum ament, timeant, sequantur vnum,
Vnum concipiant, fruantur vno.

XXV. Alia.

Ex Nicolao Grudio.

Magne Parẽs, hominũ generis seruator & altor,
Qui nos commiserans, donec tellure vagamur
Per varios dubia iactati sorte labores;
Nequando, intentos patriis hortatibus, altoq́ʒ
Hærentes cælo, nos anxia cura fatiget,
Addictasq́ʒ tibi abripiant mortalia mentes;
Das nocuam fugisse famem, generisq́ʒ caduci
Ærumnas superare, piaq́ʒ incommoda vitæ:
Nunc ô, dũ tibi thura damus, dũ sternimur aris,
Conuentusq́ʒ sacros agimus, cœtusq́ʒ dicamus
Hîc, vbi sacra tui celebramus funera Nati
Antiqui memores facti, partaq́ʒ salutis
Iussa facessentes tantarum in munere laudum:
O nunc ô (quod fas petere est, quodq́ʒ ipse recepit)

Ad sua sideribus descendat sancta vocatus
Dona tuus Natus: quo iam cælestibus escis
Interna penitus toto se viscere mentis
Insinuans, immortali nos munere pascat:
Carneque sanctificet carnem, vegeteque caducam
Transmutans, sensu quamuis nihil obuius ægro.
Aërio Isacidas vacuis in montibus olim
Ipse quaterdenos nutristi rore per annos
Nocte madente pluens ingrata prandia genti,
Mittendi specimen voluendo tempore Nati.
Ille quidem nube è gelida mortalia panis
Corpora complebat vario oblectante sapore;
Haud tamen impendens potuit depellere lethum.
Hic veniens patrio, quod purius æthere, cælo,
Est panis Patris ipse æterni æterna propago:
Et pia non solitis præcordia gustibus explens,
Cælesti ambrosia, cælesti & nectare pascit,
Æternamque suis tribuit sine funere vitam.
Quæ spe nixa fides sanctas ita anhelat ad aras,
Frigidulæ ad subitum quondam spiramẽ ut auræ
Puluerulentus hiat sub iniquo sole viator.
Has veras epulas, viuoque scatentia fonte
Pocula fac casta sumamus mente Creator,
Ut menti fiant vitalia pabula nostræ:
Corporaque atque animas, exuta sorte caduca,
Materia meliore æterna in sæcula forment.

XXVI. Ad SS. Corpus Domini.

Vict. Giselinus.

Aue salutis omnium
Spes vna sancta victima:
Qua nulla tinxit purius
Altare, nulla sanctius
Litauit, omnia expians
Mundi vniuersi crimina.
Tu CHRISTE, *qui volens Patri*
Placare sontes liberos,
Crucis ipse in ara pendulus
Tensis in altum brachijs
Tete obtulisti victimam
Placitam seuero Vindici:
O me redemptis insere
Tuis Patrisque liberis:
Vt hîc meorum criminum
Labe expiatus impia,
Sancta tua præsentia
Dulcedinem præsentiens,
In cuncta sæcula sentiam.

XXVII. Alia.

Ex Prudentio Giselinus.

Tu cibus panisque noster, tu perennis suauitas.
Nescit esurire in æuum, qui tuam sumit dapem:
Nec saginam ventris implet, sed vouet vitalia.
O tui cibo suaui corporis vitalia

Nostra

Nostra, quaeso CHRISTE, *reple; mes vt inde te mea*
Discat esurire in auum, teq; in auum perfrui.

XXVIII. Ad SS. Domini Calicem.

Vict. Giselinus.

Aue Cruor purissime
Redemptor, obses, & lytron
Redemptionis omnium:
Qui pectore è purissimo
Riuo perenni profluens
Totum per orbem, crimina
Totîus orbis eluis.
Et pectus, oro, tu meum
Sordens vel vna adspergine
Dignare; vt atris sordibus
Detersa mens, dulcedinem
Tui liquoris imbibat
Imis medullis, ac dehinc
Tam delicato nectare
Inebriata, te die
Te nocte sitiat, nec tamen
Satietur vmquam; dum nouus
Conuiua factus Angelis
Tam delicato nectare
Fruar per omnia saecula.

XXIX. Alia.

Ioan. Lud. Viues.

Salue cruor sacerrime:
Saluete quinque vulnera,

Effluxit unde maxima
Remissionis copia.
Tu palma, tu spes optima,
Salusq́ praesentissima
Contra leonem pessimum
Qui quaeritat quos deuoret.
Aue latus sanctissimum,
Thesaurus unde profluit
Nostra salutis unicus,
Hic sanguis optatissimus.
Auete sancta brachia,
Et vos pedes dulcissimi,
Totumq́ corpus saucium
Ob cuncta mundi crimina.
Tu CHRISTE *clementissime,*
Tuum sacrum per sanguinem
Dignare nostri putida
Sanare cordis vulnera.

XXX. CHRISTI ad Patrem pro nostris peccatis oblatio, Ex B. Augustini Meditat. cap. 6. & 13.

Vict. Giselinus.

At ô Pater benigne, cur aures meis
Nondum querelis admoues?
Quousque vultum iratum auertis tuum,
Lacrymasq́ negligis meas?
Conuertere Domine: & pro tua clementia,
Cui nec modus, nec terminus,

Quaq́

Quaeq; vna es vnus maximusq; & optimus,
Miserere supplicis rei.
Miserere. nam si crimina & scelera mea
Iusta bilance appenderis;
Quis stabit vsquam? quis rigorem examinis
Non expauescet? nemo erit,
Deus, luendo, nemo soluendo tibi.
Praestare solus hoc potest
Tuus ille Natus, deliciae & amor tuus,
Amor, decusq; & gloria:
Idem sequester, sospitatorq; vnicus
Cunctis Adami posteris.
Qui cùm in Dei forma esset, aequalis Deo,
Non hanc rapinam existimans
Æqualitatem; sponte sic se inaniјt,
Vt mancipij vilem induens
Habitum atque formam, & sontium simillimus,
Quò carne carnem infringeret,
Tibi, ô Pater supreme, se humiliauerit
Ad horrida crucis necem,
Obediens volenti, & officium suae
Legationis exsequens.
Decreti vbi ille oblitterans chirographum
Nobis atrociter minax,
Deleuit auum in omne, & affixit cruci:
Simulq; Principatuum
Vires opesq; illo trophaeo conterens,
Eos triumphauit palàm.
Quid hac benignitate fieri aut hoc potest

Pietatis opere augustius?
Hunc si sequestrum gratiaq; interpretem
Lubens volensq; tu Pater
Nobis dedisti: ah! scelera ne seueriùs
Mea intuere: Filium
Potiùs tuum intuere, sacro perpete
Pro me immolantem se tibi,
Omniq; mortis & dolorum acumine
Nostra redimentem crimina.
Vide, vt cruentis horreat spinis caput,
Cruore lumina turgeant:
Sitiq; sicca lingua, visceraq; omnia
Tabente corde flacceant.
Directa cerne vt brachia graui pondere
Tremant solutis artubus:
Clauisq; fixi, eheu! trabalibus pedes
Vix sint ferendo corpori.
Aduerte hiulcum pectus, & membra omnia
Aut purulenta aut liuida
Aduerte, & hac tormenta tam spontanea
Innoxij Nati tui,
Meritaq; tanta tu perîsse ne sinas
Suas gementi noxias.
Prosit mihi ille Pontifex semel datus:
Prosit mihi ista victima
Piacularis: prosit eius sanguine
Pax empta leges in meas.
Hac te per illum, propter illum Filium
Iam carne vestitum mea,

Supplex adoro, cernuusq́ue supplico
Des certa sint, nec irrita.

XXXI. Alia.

Ex B. Augustini Meditat. cap. 5.

Vict. Giselinus.

En aduocatus hic meus
Ad te Pater ter maxime:
En Pontifex ter maximus;
Qui non alius sanguine
Eget expiari, proprio
Perfusus ipse sanguine.
En hostia acceptissima,
Bene-placita, suauissimo
Litans odore. en, ô Pater,
Agnus sine macula, innocens,
Inter manus tondentium
Qui obmutuit. hic hic Filius
Tuus ille dilectissimus,
Qui casus alapis, oblitus
Sputo, omnibusq́ue opprobrijs
Affectus, os mitissimum
Numquam resoluit: omnium
Peccata solus hic luit,
Solusq́ue nostra vulnera
Liuore sanauit suo.
Per hunc tuum ergo Filium
Sis mitis, ô Pater, mihi:
Ignosce peccatis meis,

Qua Filius pro me luit:
Eiusq; sancta vulnera
Mentis meæ da vulnera
Sanare vt aucta viribus,
Molemq; corporis grauem
Leuius minusq; sentiens
Te quærere, & tuis queat
Te persequi vestigijs.

XXXII. Alia.

Ex hymnis Ecclesiasticis.

Auctor salutis vnice,
Mundi redemptor inclyte,
Tu CHRISTE *nobis annue*
Crucis beata gloriam.
Tu sputa, colaphos, vincula,
Et dira passus verbera,
Crucem volens adscenderas
Nostra salutis gratia.
Hinc morte mortem diruens,
Vitamq; vita largiens,
Mortis ministrum subdolum
Deuiceras Diabolum.
Nunc tu Parentis dextera
Sacrata fulges victima:
Audi, precamur, viuido
Tuo redemptos sanguine.

XXXIII. Alia.

Zanchius.

Tange, precor, mihi care pater præcordia IESV:
Corq́ meum sacris affice vulneribus.
Ipsa meas feriant contorta sonoribus aures
Verbera, & immiti tristia flagra manu.
Occurrat, quocunque ferar, tua dulcis imago,
Molliaq́ impressis tempora secta rubis.
Non vmquam fellisq́ liquor, clauiq́ trabales,
Lanceaq́ immemori defluat ex animo.
Te semper roseo conspersum sanguine cernam:
Inq́ meis semper vulnera sint oculis:
Vulnera, quîs mortemq́ necas, & lumina vitæ
Reddis, & est homini vera recepta salus.
Te videam sancto lustrantem cuncta cruore,
Qua cælum, & terræ, qua maria alta patent,
Tendentemq́ manus, & ad oscula cara vocantē,
Pandentemq́ imi pectoris hospitia.
Hoc mihi dulce decus: hæc sunt noua gaudia mēti:
Has mihi diuitias, hæc mihi regna peto.

XXXIV. Alia.

M. Ant. Muretus.

Æquæua ingenito Progenies Patri
Vitam morte suis redderet vt sua;
Se CHRISTVS *niuei velleris hostiam*
Vltro supplicio obtulit.
O erga immeritos mirus amor Dei!
Natum (quæ pietas!) tradidit vnicum;

Vt pro mortifera fraude nocentium
Pœnas solueret innocens.
O non visum aliàs sacrificî genus!
In quo æterna Deo sacra facit Deus,
Et mortem moriens opprimit, & sibi
Ipsa est victima Pontifex.
O Crux tincta sacri flumine sanguinis!
Olim supplicium mancipijs graue,
Nunc Regum capiti præcipuum decus,
Te flexo colimus genu.
Simplex ætherei Numinis Vnitas,
Sancta in personis veraq; Trinitas,
Æternis vigeat semper honoribus
Et terrâ simul & polo.

XXXV. Defunctorum memoria.

Dom. Lampsonius.

O semper vni cui miserarier,
Ignoscere vni & parcere proprium;
Hauri tuorum lenis, hauri
Aure preces facili clientum:
Vt quos suorum vincula criminum
Ab debitores supplicij ligant,
Tua benignus pro paterna
Summe Pater pietate soluas.
Cunctis quietem perpetuam, Deus,
Da, qui dederunt se tibi, mortuis.
Tu lux eis æterna fulge: in
Pace fac & requie quiescant.

Fidelium

Fidelium omnium conditor ô Deus,
Idem & redemptor, cuncta tuis sua
Delicta placatus ministris
Pro pietate tua remitte.
A te reatus vt veniam sui,
Quam semper optauere superstites,
Ad te frequentatis piorum
Obtineant precibus nepotum.

XXXVI. Oratio Dominica.

Vict. Giselinus.

Non, ô beate cælitum
Pater, patris te nomine
Ausim vocare, filij
Indignus ipse nomine:
Ni vis tua clementia
Amore Filij tui
Euicta, nos audacia
Huc impulisset, edocens
Tui inuocandi formulam.
Agnosce cælitum Pater
Precem tui, oro, filij:
Simulq; nostris mentibus
Infunde spiritum precum,
Illum beata filiis
Adoptionis insitum:
Qui spiritû consentiens
Meo, tuiq; Filij
Meas medullas eliquans,

Amore

Amore, votis omnibus
Et omnibus suspiriis
Sic oret ore te meo.

PATER *beate cælitum*
Idemq́ noster, incolens
Æternus immensum æthera,
Sanctè colatur vt tuum
Vbique nomen; regiam
Da vim tua potentia,
Clementiaq́ & gratia
Vigere vbique: da nihil
Obesse, quin qua iusseris
Cuncti exsequantur, vt tui
Tibi obsequuntur cælites.
Atque inter ista, ô, indies
Concede corpori suum
Suumq́ menti pabulum.
Et qua tua ira vindici
Debemus, illa vt hostibus
Remittimus nos omnia,
Nobis remitte. Denique
Sit omnis ô tentatio
Procul, procul tentantium
Manus maligna: tu propè
Adsiste verò, siqua nos
Lacessit, & nos assere
Tua potente dextera.

Hac, ô beate cælitum
Idemq́ noster omnium

Pater,

Pater, fac esse haud irrita:
Non quòd meremur: at tuo
Des hoc merenti Filio,
Cunctisq; votis cælitum
Tibi usque supplicantium.

XXXVII. Alia.

Dom. Lampsonius.

O degis alto qui Pater æthere,
Vbique nomen sanctificent tuum:
Vbique regnes: vtq; cælo
Fit tua, fiat & hîc voluntas.
Nobis diurnum des hodie cibum.
Nobis remittas debita nostra; vt &
Debentibus nos illa nobis
Ex animo venia parati.
Neúe ille vt acer nos quatiat sinas
Tentator: omni libera at à malo;
O regnum, ô omnis cui potestas,
Gloria, laus, decus, omne in æuum.

XXXVIII. Alia.

Car. Langius.

Rerum atque gentis magne hominum Parens,
Qui latè Olympo stellifero imperas:
Terrasq; tamquam rus superbum
Perpetuis renouas colonis:
Qua surgit & qua præcipitat dies,
Omnes loquantur te populi & vocent:
Tuumq; nomen sempiternis

Mar-

Marmoribus celebrent & are.
Regnumq́ terris vnanimes tuum
Firment, & acres iussa obeant tua:
Et quo tibi apparent cohortes
Cælicolûm studio obsecundent.
En quos colendis per vaga prædia
Agris locasti, soluimus istius
Pensum diei: da diurnum
Quo fluidi recreentur artus.
Vtq́ alligatos, qui reliqua haud queant
Præstare, damnis quive dolo datis
Incuriáve se implicarunt,
Soluimus are, damusq́ dextram:
Sic tu, Pater, largire quod improbè
Aut negligenter gessimus, & stylo
Verso benignus nostra lauis
Exime nomina de tabellis.
Et nos cupido ne malus impio
Errore captos in facinus trahat,
Serua: atque securos tuere
Insidijs malesuadi ab hostis.

XXXIX. Ad Canticum *Agnus Dei*, &c.

Dom. Lampsonius.

Fili, Agne Patris, sanguine qui tuo
Peccata mundi tollis, age, ô Deus,
Peccata tollens supplicantium,
Parce tuis bone, parce nobis.
Fili, Agne Patris, sanguine qui tuo

Pec-

Peccata mundi tollis, age, ô Deus,
Audi precantes lenis, audi
Aure tuos facili clientes.
Fili, Agne Patris, sanguine qui tuo
Peccata mundi tollis, age, ó Deus,
Age ô IESV *nate summo*
Summe Deo, miserere nostri.

XL. Alia.

Petr. Baccherius.

Agne Dei, prognate Deo, cui nescia labis
Pectora, cui teneri maxima cura gregis;
Respice nos inter morsus rictusq; luporum
Pastor, & optatam sedulus adfer opem.

Agne Dei refugas humeris latantibus agnas
Ad caulas referens, unde abiere priùs;
Elue concretas neglecto in vellere sordes:
Elue quò redeat qui fuit antè nitor.

Agne Dei, nullo cuius clementia fine
Clausa est, qui propiùs nostra pericla vides:
Hinc vafer insurgit serpens, hinc perfida mundi
Immundi rabies; hinc malesana caro
Viscosos tendit laqueos. sacer Agne repressis
Hostibus his, agnos iunge in amore tuos.
O Pax triticeis caput exornata corollis
Hei quamdiu nostris finibus exsul eris!

XLI.

XLI. Ad Pacis osculum.

Vict. Giselinus.

Christe, qui solus pia vota menti
Suggeris, cuius monitu piorum
Turba deuoto tua iussa nisu
Sponte facessit:
Da tuis tandem famulis, precamur,
Pacis æternæ geniale munus;
Cælitum munus, quod habere mundus
Et dare nescit.
Sic vbi curis vacui & pauore
Te duce, hoc æui spatium exigemus;
Corpus hoc, mens hæc tibi tota, & omne
Seruiet æuum.

XLII. Alia.

Dom. Lampsonius.

Sancti omnis ô desiderij dator,
Omnisq; recti consilij, Deus,
Iustiq; facti, supplicamus
Quam dare non potis iste mundus,
Des, alme, pacem: scilicet vt tui
Toto exsequamur iussa animo tua:
Nullosq; defensore, nullos
Vindice te timeamus hostes.

XLIII. Sacerdote communicante.

Iul. Cæs. Scaliger.

Ah ne alibi serum hospitium tibi quære: sed intra
Intra me, Deus omnipotens. nam si quæ recepti

Mens

Mens præsaga boni miseris mortalibus vsquã est;
Tu Deus es, tu præsentem quem quærimus ipse es.
Quénã abeas? fructi agnosco rata pignora panis,
O panis cui nulla fames, nulla obsita letho
Obstrepit extremis veniens in rebus egestas!

XLIV. Alia.

Drepanius.

Tu mihi delicias, tu mensam epulasq; parásti,
Quis satur inuictas adipiscar pectore vires,
Aduersasq; acies pulcro certamine vincam:
Vt mihi post validos pugna victricis agones
Lætitiæ largo caput aspergatur oliuo,
Lucifluusq; calix pleno me proluat haustu:
Seruatusq; tua cunctis pietate diebus,
Sidereum CHRISTI *merear cõscendere templũ:*
Sub quo perpetuis viuam feliciter annis.

XLV. Alia.

M. Ant. Flaminius.

IESV *tuorum vulnerum*
Cruore sancto pascere
Me quæso numquam desinas.
Me sanguis iste roborat,
Dulciq; replet gaudio,
Hoc est amoris poculum
Cælestis, omnes sordidos
Pellens amores. ebria
Hac potione mens, sui,
Et omnium fit immemor

Qua-

Quæcunque mundus continet;
Deumq; solum cogitat,
Tuumq; Amorem. feruide,
Immense, nulli effabilis
Amor, beatis sedibus
Tu maximi Natum Dei
Deducis, ipsiq; in suis
Mortale corpus, asperam
Dein tollis illud in crucem.
Amabilis, dulcissime
Amor, meis in sensibus
Tantas amoris excita
Flammas, vt vstis nexibus
His ponderosi corporis
Alis tuis ad optimum
IESVM *beatus aduolem.*

LXVI. Sumpturi Corpus Dominicum.

Vict. Giselinus.

Quæ lingua, quæ mens reddere gratias
Dignásve laudes dicere gratijs
Tibi ausit, ô benigne IESV,
Pro bonitate superfluente
Tua vsque & vsque in terrigenas tuos?
Quos mancipatos Veiouis inferi
Tetris tenebris in priorem
Non sat erat tibi vindicare
Vitam atque honores: dum Patris è sinu
Volens subisti Virgineos sinus;

Mor-

Mortalium vt mortalis ipse
Morte obita lueres reatus:
Quò peruelles nos tibi & exules
Prisco tuorum iure Quiritium
Gratis redonares, & olim
Angelico alligeres senatui:
Non inquam, IESV, *visa tibi hæc satis:*
Nisi & redemptis tu te epulum dares:
Atque hoc in ævo corpus ægrum,
Viriculasque animæ tenellas
Tu carne viui Corporis, & sacri
Cruoris haustu cælitus indies
Corroborares, atque sensim.
Imbueres meliore vita.
Quis tantum amorem perfidus audeat
Obliuioni tradere? quis vice
Non mutua illum parte amoris
Qua potis est memori reponat?
O ter beatum, quem tu epulis tuis
Vultu renidenti accipis hospitem!
Quemque ebrium è conuiuio illo
Nectare & ambrosia remittis.
Non terrea ipsi iam sapiunt. nihil
Caduca cuncta. scilicet æthera
Iam mente oberrat, cælitumque
Delicijs potitur beatis.
Benigne IESV, *quàm pudet ac piget,*
Torpere segni cor mihi frigore!
Hoc vre, amabò, amabilique

Igne

Igne tua omnipotentis Aura
Diffunde, vt auro puriùs emicet:
Mensq́ue mens desiderio sacro
Accensa, ab hoc potu ciboq́ue
Visceribus vegetetur imis.
Atque inde viua spe simul, ac fide,
Sanctiq́ue adhærens glutine Spiritus
Tibi hospes hoc in orbe, & heres
Siuereis tibi fiat oris.
Sic ô supremo sit tibi cum Patre
Cumq́ue æterno Pneumate par tibi
Regnum, potestas, gloria omne
Quod fuit & superest in æuum.

XLVII. Gratiarum actio.

Nic. Grudius.

Alme Pater, pater alme, tuum per nubila lumen
Me regat, erudiat sapientia, Spiritus ægrum
Cor foueatq́ue nouetq́ue afflatum lenibus auris;
Pectoris vt glacies flammis liquatur amoris:
Sordeat inconcessus amor, fugitiua voluptas:
Vniusq́ue tui mihi cor flammescat in horas
Vsque magis, magis vsque indeficiente calore.
Te sine nil sit dulce meis, nil suaue medullis:
Nil oculis pulcrum, nil delectabile menti.
Tu mihi solus amor, solus tu fructus amoris:
Ipse tui tu delicia & solamen amoris.
Extra te nullam male sano pectore laudem
Concipiam; famaue agitet me laua cupido,

Qua-

Qualibet arte leuis populi qua captet honores.
Cuinam etenim nostro debetur gloria facto?
Tu mihi laus, tu fama, mihi tu gloria solus,
Tu robur, tu vis, tu firma potentia solus,
Diuitiaq; & opes mihi tu, & semel omnia solus.

XLVIII. Alia.

Pontius Paullinus.

Vita Deus noster: ligno mea vita pependit;
Vt staret mea vita Deo. quid Vita rependam
Pro vita tibi CHRISTE *mea? nisi fortè salutis*
Accipiam calicem, quo te mea dextra propinet;
Vt sacro mortis pretiosa proluar haustu.
Sed quid agam? neq; si propriũ dẽ corpus in ignes
Vilescamq; mihi; neque sanguine debita fuso,
Iusta tibi soluam, quia me reddam tibi pro me.
Et quidquid simili vice fecero; semper ero impar
CHRISTE *tibi: quia tu pro me mea, non tua* CHRISTE.
Debita soluisti, pro seruis passus iniquis.
Quis tibi pẽsat amor? Dominus mea forma fuisti,
Vt seruus tua forma forem. Et res magna putatur
Mercari propriam de re pereunte salutem,
Perpetuis mutare caduca, vt vendere terram,
Cælum emere? Ecce Deus quãto me carius emit,
Morte crucis passus, deiectus imagine serui
Vt viles emeret pretioso sanguine seruos!

XLIX. Alia.

B. Prosper.

Ille Deus, rerum, cæli terræq; creator,
Me propter sacra virgine natus homo est.
Flagris dorsa, alapis maxillas, ora saliuis
Præbuit. & figi se cruce non renuit:
Non ut tanta Deo quidquam patientia ferret,
Cuius nec crescunt, nec minuuntur opes:
Sed quod erat vitiatũ in me, ut superaret in illo;
Factus sum CHRISTI *corporis, ille mei.*
Me gessit moriens, me victa morte resurgens,
Et secum ad Patrem me super astra tulit.
Sẽper agã grates CHRISTO, *dabo semper honores:*
Laus Domini vigeat semper in ore meo.

L. Ad vltimam Collectam.

Nic. Grudius.

Alme Pater, ter magne Deus, ter summa Potestas,
Sãcte Pater, Pater vne hominũ, Pater vne Deorũ,
Immortale iubar, lucis fons, omnis ab vno
Gratia quo fluit, & solo de lumine lumen
Emicat. irradians felicibus omnia flammis,
Omnia collustrans, sanctoq; ardore serenans,
Vnice Rex regum, cui soli elementa ministrant,
Cui viuunt per te veniunt quæ lucis in oras:
Quid genus infelix in te committere tantum,
Post casum & primi scelus exitiale parentis,
Quid miseri potuere homines, tua, Sũme, propago?
Caussa mali quibus est cæcus furor, atraq; mentis

Nubilaq; & tenebræ, atq; inamœna noctis opacũ,
Abstrusiq; tui longè ignoratio veri?
Quid miseri potuere in te committere tantum
Quod non abluerit sancti gutta vna cruoris
Vnigenæ æquaui, æqualisq; per omnia Nati:
Lapsus in humanas patria qui cælite terras
Induit, hos propter, mortalia membra, neciq;
Obiecit caput, exspirans animaq; litauit?
Infernasq; domos quatiens spolia ampla reuexit?
Vnũ hic si tecũ est, mens vna, atque vna volũtas,
Imperiumq; vni cæloq; soloq; dedisti:
Quî damnes vltro sontes? quî crimina quæras,
Hoc tutante reos, hoc ignoscente reatus?
Parce bonus, miseresce Pater. te parcere semper
Ac miserari æquum est sua spõte admissa fatentes:
Supplicio qui se merito ad lixêre, tuiq;
Iudicij horrendum sic præuertêre furorem.
Hac verax, hac iustus es, hac pietate paterna
Iustitia expletur: laudũ hac suprema tuarum est,
Hæret Iustitiæ quòd Pax per mutua nexa.
Parce pius miseris, veniam pacemq; rogamus
Submissi, miseresce Pater, miseresce, precamur.

LI. Ite, Missa est.

Petr. Baccherius.

Ite modò: iratum mox placatura Tonantem
Est missa Olympo victima:
Quò nos post cineres, & fata nouissima ducet
Idem offerens & hostia.

Tum caput æterno iungetur fœdere membris,
Nec vmquam erit diuulsio.
Tum, modò qui latet exuuijs & schemate panis,
Cernetur absque ænigmate.
Tum sine fine quies parta, æternumq; manere
Cum Patre, Nato, & Pneumate.
Ite modò: offenso cùm sit missa hostia Patri,
Æterna vos quies vocat.

LII. Canticum Simeonis.

Dom. Lampsonius.

Nunc seruũ dimittis, here ô bone, nunc satur aui
En ego CHRISTE *tuo cum Simeone cano.*
Fecisti, quod pollicitus mihi viuere cordi
Non hîc vlteriùs: mors mihi grata quies.
Te mea quippe meam modò conspexere salutem
Lumina, præsentis conscia facta tui.
Nec modò conspexêre: meo (mirabile dictu)
Te eus idem & homo passus es ore capi.
Quamlibet irrisor neget hoc Sectarius, audens
Viribus aut verbis indubita. e tuis;
Ipse tuum ex animo tibi credo hoc esse docenti
Corpus, & hunc calicem sanguinis esse tui:
Qui tibi delicias, hominum indefessus amator,
Cum natu hominum fassus es esse tuas.
Nec mihi tu tãtùm; sed & omni tẽpore, & omni
Humano generi certa parata salus.
Tu lux pellendis animorum vera tenebris,
Gloria tu, plebi tu decus omne tua.

Ple-

Plebi, cui mentisq; oculis & corporis, uni
Nomine req; datum est cernere posse Deum.
Gloria summe Pater tibi: par tibi gloria Fili:
Gloria par spirans Aura ab vtroque tibi:
Vt mũdũ ante creatũ, vt ab eius origine, vt & nũc
Et saclis saclorum innumerabilibus.

LIII. Benedictio.

Ex Hymnis Ecclesiast.

Qui nos creas Deus Pater,
Qui liberas nos Filius,
Qui gratiâ nos efficis
Sanctos, benigne Spiritus.
Te nostra vox, te conciti
Collaudat ardor pectoris:
Preces reconde mitibus
Cordisq; & oris auribus.
Pater creator, nominis
Extolle gloriam tui:
Fili redemptor da tuam
Vbique cantari crucem.
Flatus sacrator, omnium
Fuga tenebras pectorum:
Da post peracta tempora
Vita, superna gaudia:
Vt carne, mundo, Sathana.
Victis superbis hostibus,
Laudemus in cæli thronis
Te cum beatis Angelis.

LIV. In SS. Euchariſtiam.

Hier. Vidas.

O hominum miſerate famem, miſerate labores,
Vno cùm ſatures tot cæli examina verbo,
Alituum cæleſtûm acies, tot millia milliûm:
Quæ tibi tanta fuit rerum pulcerrime cura?
Quis tibi tantus amor noſtri, vt tua viſcera nobis
Obiiceres epulanda, dares te in pocula, in eſcam,
Quos tamen ex humili finxiſti puluere quōdam
Infirmos, decoriſq; tui nihil inſtar habentes?
Tu volucris fœta illa, tuo quæ ſanguine natos
Viſceribuſq; tuis terebrato pectore paſcis.
Tu, quoties facimus, teq; vltrò in vota vocamus
Verborum memores; cæli ecce elapſus ab aula
Cãdidus ille venis Agnus, viua hoſtia ad aram,
Quam veterum portendebant oracula vatum:
Cordaq; noſtra replet ſimul ecce inopina voluptas.
Te duce ſecuri gradimur per quæque viarum
Aſpera: ſuſcepto te non deeſt copia victus:
Tu dux, tu comes: æterni tu copia victus:
Et quæ deficimus, tu nobis omnia ſupples.
Si quâ fortè labant in nobis ſpeſq; fideſq;,
Continuò tua nutantes præſentia firmat:
Teq; omnis præſente viget fiducia noſtra;
Solis nota piis, vulgo inconceſſa voluptas.
Accedo has quoties epulas; ſubitò æthera mente
Concipio: ſubitò mihi ſenſus eripis omnes,
Inq; tui adſpectu liquido ardens corde quieſco.

Sanctum,

Sanctum, augustũ, almũ, cæli admirabile Numẽ
Qua te voce sonem? quo te nunc nomine dicam?
Nullum te dignum reperimus carmine nomen:
Nullum te dignum verbis molimur honorem.
Salue vita hominum, non enarrabile donum,
Desuper illabens, noua cælo gratia aperto:
Per te melliflua rorant dulcedine montes:
Per te mellifluo complentur nectare valles:
Omnia inexhausto mellis torrente redundant:
Omnia amant: sancti tu nobis pabula amoris
Sufficis: æterni tu nobis pabula amoris
Ipse amor, ipse animis nostris innexa voluptas.

LV. Alia.

Franc. Hæmus

O amor rarus, pietasq́; rara!
Quis tibi grates meritas rependat
Christe, quis cultus meritosq́; honores
Soluerit vmquam?
Cuncta debemus tibi, cuncta Christe,
Corporis vitam, bona cuncta terræ,
Corporis dotes animæq́;, nosmet
Denique totos.
Iure te sacras colimus per aras,
Iure deuotis celebramus odis:
Laus, honos soli, decus & potestas
Sit tibi perpes.

LVI. Alia.

Idem.

O summi pietas Dei!
En qui cuncta fert & agit manu,
Tellurem, mare, sidera,
Tractari manibus sese hominum sinit,
Se præbetq́ vicem cibi.
Salue cunctipotens, viuida, sanctaq́
It mirabilis hostia,
Vitam sola animæ sufficere efficax:
Quo te nomine nominem?
Qua te voce feram? non video satis
Vsquam digna vocabula.
Laus, virtus, & honos sit tibi, sit decus
Soli sæcla per omnia.
Te iussi quoties sumimus, & sacras
Libamus trepidi dapes,
Felix esca, precor, faustaq́ ter quater
Nobis esto: scelus laua,
Sensim terge nigras, quæ superant notas:
Pectus fac niue purius:
Quin nostris animis te solidam insere.

LVII. Alia.

Ex schedis interpolata.

Sũ tuus, atq; mihi nihil ex me adscribo, Creator:
Sum tuus, & totum me tibi dedo lubens.
Sunt etenim tua, quæ possunt mea cumq́ videri.
Nec satis. illa mihi perdita mox reparas.

Heu

Heu quàm tradideras nitidā cum corpore mētē
Turpia sed vitio sunt ea facta meo.
Tu mihi factus homo impurā cū corpore mentem
Deter∫ti fu∫o ∫anguinis imbre tui.
Errabam infelix exsul per deuia te∫qua:
Errantem ip∫e humeris in tua tecta refers.
Quid? quòd ∫pem præter regni, qua fulcior, alti,
Afflicto es tetricis ca∫ibus v∫que comes?
Es comes, atque mihi te grata viatica præbes,
Dum vagor, atque ad te dum peregrinus eo,
Cùm labor ip∫e via vires exhau∫it euntis;
Cælesti refoues arida corda cibo.
Tu me, inquam, pa∫cis, donec contendero ad vrbē,
Quam ∫pero, & tecum ∫æcula lætus agam.
Id mihi præ reliquis donis iucundius vnum est,
Concludens gyro cætera dona ∫uo.
Praua num meriti vllius ve∫tigia? nulla.
Vicit io pietas, crimina vicit amor.
Deuinctus tibi ∫um: tibi debeo plurima, vitam,
Membra, animum: laudes cuncta ∫onare decet.

LVIII. Alia.

Ex ijsdem ∫chedis.

Multa ∫unt tua effluentis
Largitatis munera.
Maximum multò ∫ed illud,
Cuncta quod ∫olum implicat:
Cuiq; gratijs habendis
Impares, Deus, ∫umus:

Nec polire dignitatem
Vlla pollet indoles.
Mystica illa nempe cœna
Vltima mysteria,
Dextera vt potente panem
Verteris carnem in tuam:
Et merum sacrum in cruorem
Ante mortis funera,
Charitatis igne plenus,
Nostra auens solatia.
Quod sacrum sacris ministris
Integrari vt iusseras;
Tu Patri placita & cruenta
Immolatus victima,
Victima inde non cruenta
Esse numquam desinis:
Præstò ades: manebis vsque,
Nec fideles deseres.
Dignius quid hoc sacro vsquam?
Summus orbis Rex ades.
Plenius quid dulci amore?
Impiis te das cibum.
Mitius quid? hostibus te
Hostiam non denegas.
O benignitas stupenda,
Qua nec hostes arceat!
Carne pauit pastor vllus
Totum ouile? sanguine
Vlla nutriuit puellum
Mater

Matri id lubens facis.
O abysse, ô fons amoris,
Inquieto flumine
Qui scates, modumq́ nescis
Diffluens per omnia!
Irriga tuo liquore
Aridum pectus mihi,
Christe, madeat vt tua vnda
Gratia medullitus.
Irrigatum deinde adure
Igne sancti Spiritus:
Vt queat madere ijsdem
Et liquere amoribus:
Sic vt hinc orare possim;
Deficit mens arida:
Pane te iam glisco pasci:
Tempera famem meam.
Prome sanguinem: palato
Gustus hic mirùm sapit.
Hospes intra. tecta lustrans
Pauperem dita domum.

LIX. In sacrosanctam Eucharistiam.

Ioannes Auratus.

Christus qui Patris est splẽdor, qui Patris imago,
Ante æuum genitus, medij per tempora sæcli
Venerat in terras humano corpore tectus,
Vt genus humanum seruaret ab hoste redemtum
Morte sua, aduentusq́ sui certissima signa

Antè dedit: quæ res tandem manifesta probauit:
Nam cùm desertis erraret vulgus in agris
Israëliticum, potusq; cibiq; periret
Indigũ, & ad summũ venisset vtrimque periclũ:
Ecce Patris nutu, sua cui sunt pignora curæ,
E cælo niuea prorupit grandinis imber,
Non infestus agris, sed egenos lenis agrestes
Qui solaretur loca per deserta vagantes,
Pabula dum gustant cælo demissa sereno.
Quam simul ac varij degustauere saporis
Ambrosiam, varijs gratam cuiusque palatis;
Mirantes dixere, (Quid hoc?) MANAHV quod Hebrais,
Manna facit Græcis: Manna dator vnde vocatus
Est Deus à Græcis Hebræa teste Sibylla.
Christus at è cælo terras cùm venit in imas
Mystica signa probans veris certissima verbis,
Instituensq; sui mysteria corporis almi,
Verba, Quid hoc? mutãs meliorẽ vertit in vsum,
Hoc est, nempe, meum corpus, cùm dixit, & illud
Christicolis liquit memorandi pignus amoris.

De sacrosancta Cruce Dialogus inter patrem & filium.

Ioannes Auratus.

Filius. *Lignũ prima mali labes mortalibus ægris.*
Pater. *Lignũ prima boni spes, & via prima salutis.*
F. *Lignum triste tulit malum, quod origo malorũ.*
P. *Lignum dulce bonum gestat, quod origo bonorũ.*

F. Pri-

F. Primus Adam carpsit de ligno triste venenũ.
P. Alter Adam carpsit tristi de stirpe medelam.
F. Ligno lapsa lues homines leto dedit omnes.
P. In lignum sublatus homo seruauit & omnes.
F. Illa salutaris cur paucis planta medetur?
P. Illa salutaris quia paucis noscitur arbor.
F. Sed quis noscendæ modus arboris, eius & vsus?
P. Primus, vt hãc venerere pio cũ pectore pronus.
F. Pronus eã venerer: sed quis restat modus alter?
P. Vt venerãs meditere crucẽ tibi & esse ferendã.
F. Sed qua ferre crucis possum ratione laborem?
P. Sub cruce sudanti crux afferet ipsa leuamen.
F. Quâ licet experiar. Crucis & quis tertius vsus?
P. Firmiter vt speres per eam delicta remitti.
F. Conscia sed delicta cruci me accedere terrent.
P. Christus at inuitat sua de cruce brachia pãdẽs.
F. In cælum & terrã peccaui, me vtraque terrẽt.
P. Et cæli & terræ Christus sedet in cruce iudex.
F. Quò fugiã cũ sit sursum mihi terror & infra?
P. Iudicis vt lateas, abdas te in vulnera Christi.

Cruce mors victa.

Iul. Cæs. Scaliger.

Arbor, folijs quæ viduata, delibrata,
Celso capite ad sidera cognata resurgis;
Quo semine, quáve insitione pullulasti?
Radice carens, frondibus, & cortice nullo,
Fructum vt tuleris, qui patrium calcat Olympũ?
Pars infima terram capit: ad sidera vertex.

Affectat iter: brachia dispessa per orbem
Motus referunt, omnis & ostentâ quietis,
Componens quibus omnia natura coërcet.
Hac thensa Deis aurea praeferenda priscis.
E carceribus protinus instat his quadrigis
Agnus, non sine sanguine, de more triumphans
Orci trahitur regia ferreis catenis.
Captiuaq; mors sequitur, mortua, interempta:
Scissaq; furens lurida Discordia palla.

Desiderium videndi Deum.

Arn. Laurentius Berchemius.

O iubar aeternum, cuius de lumine lumen
Omne micat, sine quo tenebrescunt nubila, de quo
Lucescunt tenebrae, Deus ô pulcerrime rerum,
Quo sine nil pulcrum, per quẽ sunt cetera pulcra,
Qui totus nitidus, speciosus, amabilis, imò
Totus es ipse nitor, species, amor, atque voluptas,
Quando tuos dabitur vultus dilecte videre?
Tete siderea mentes spectare, tuaq;
Perpetuò mirum decus ardent cernere forma.
Intuitus satiem nec habet tamen ille: sed vsque
Vsque magis cupiunt: modò quem vidêre, videre
Rursus auent, semperq; recens est causa videndi:
Nec desiderij vehemens vis illa senescit:
Quin magis augetur semper gliscitq; tuendo.
Felices illi nimiùm. numquámne ego felix
Sic ero? quã lõgũ est, ea quod mihi gaudia differt?
Quando tuos dabitur vultus dilecte videre?

O tibi quæ facies! ô qui tibi candor! amœnam
Hanc qui caliuago faciem concedere soli,
Hunc qui candorem poteras concedere Lunæ,
Hoc qui Lucifero poteras affundere lumen,
Euocitare diem dum lampade matutina
Et piceas noctis iam primùm assuesceret umbras
Pellere: qui varijs poteras conuexa polorum
Pingere sideribus. nam si tam splendida factis
Est species; qualis factori præminet ipsi?
Inq; alijs cùm sis talis, ô qualis es in te?

Quando tuos dabitur vultus dilecte videre?
Sed neque per cæli tantùm mirandus es ignes
Luciuomos. & in his imis, vbi degimus, oris
Cernere multa licet multo perfusa lepore;
Exsilium nostrum quibus ô suauissime mulces,
Afflictumq; tui vultus solaris amorem:
Florida lætificos dum spargis in arua colores,
Dum sola multigenis herbis, dum gramine vestis,
Arboreasq; comas, montesq; in nubila tollis:
Atque ita pulcrarum præbes circumq; supraq;
Quocumque adspicimus, fateor, miracula rerũ.
Quid tamen hæc ad te? te te dilecte requiro.

Quando tuos dabitur vultus dilecte videre?
Multa quidem, tua quæ pietas, clarissima dextra
Dona tua passim fas est spectare, fauoris
Pignora magna tui. quâ non regione locóve
Obuia sunt nobis? meritis vbi gratia non est
Grandis habenda tuis? at si mõs omnis in aurum
Transeat, & mihi des præter te cetera cuncta;

Cetera

Cetera quid prosunt? imò magis omnia tolle,
Dummodo tu meus esse velis. tu sufficis vnus
Omnibus ereptis: vno te cuncta negato
Non mihi sufficiunt. animo mea vota capace
Latiùs extendo. magni possessio mundi
Non satis est: satis & super es mihi tu tamẽ vnus.
Quando tuos dabitur vultus dilecte videre?
A patrijs plerosque focis carisq; propinquis
Extera visendi terraq; fretoq; frequentes
Feruidus egit amor; cuperent cùm discere terras
Et mores, & non audita idiomata linguæ:
Aut Regem solio gazaq; opulente coruscum
Cernere gestirent. sic & Regina Sabæa
Sedibus è patrijs auroq; insignis & ostro
Aduenit, tantùm studio correpta videndi
Regnantem iuuenem: qui sæpiùs ore diserto
Phœnicumq; Arabũq; duces, populosq; trahebat.
Et tecum Salomon, tecum res vlla queát ve
Conferri? non ergo magis tui amore videndi
Ardescam, cupiamq; tuum spectare decorem?
Quando tuos dabitur vultus dilecte videre?
Noui equidem (nec obest coram te vera fateri)
Quis vitijs maculis: quã sim pannosus & hirtus,
Quamq; tuo adspectu indignus: cũ carceris insons
Niliacus iuuenis, terso squalore, comaq;
Attonsa, sumptoq; noui splendoris amictu
Sordida quaq; priùs cultu mutârit honesto;
Quiuerit attoniti faciem quàm cernere Regis:
Nec, nisi qui vultu pueri formaq; decori

Quattuor

Quattuor adſtiterint ſceptris Babylone potito:
Nec, ſpecie niſi præluſtri ſpectabilis Eſther,
Formarum cupidi penetrârit ob ora Tyranni:
Quo magis ipſe tuos Rex ô ter maxime regum
Non poſſum vultus expers optare decoris.
At tibi perfacile eſt, ſordes & fœda peroſo,
His mihi detractis pannis, cœnoq; ſituq;
Abluto, ornatus ſubitò mihi reddere lætos,
Et comptum nitidumq; tibi me ſiſtere coram.
Quando tuos dabitur vultus dilecte videre?
Tu, quoties cæcis toto vaga nubila cœlo
Eripuere diem tenebris; cùm plurimus auſter
Increpitat, pluuioq; caput lauit vuidus amne;
Quando libet, ſuda mox omnia luce ſerenas.
Sic quoties tumidu pelago nimboſus Orion
Fluctibus incubuit, minitans atrocia nautis,
Horrendãq; hiemem inuexit, noctemq; profundã;
Ad iuſſus mox ille tuos audacibus orſis
Abſtinet, ac ſæuas placidus tibi ſubiicit iras,
Et dicto citiùs planis agit æquor in vndis.
Et mihi tu nubes, & tu mihi turbida, ſi vis,
Demere cuncta potes, nihil ô qui non potes; iſtam,
Quâ tenebras abigis, tempeſtateſq; ſerenas,
Vt, præclare, tuam fas ſit mihi cernere lucem.
Quando tuos dabitur vultus dilecte videre?
Iſte quidem radijs ſol, cui fulgente corona
Tempora cinxiſti, primo cùm ſurgit Eôo
Igne recens, vegetaq; animoſus honore iuuentæ;
Submouet algentes tenebras, rebuſq; colorem

Reſti-

Restituit. persapè tamen subeuntibus illum
Aura tegit nebulis, & nubibus abdit opacis;
Vt luctante diu vix densa repagula victor
Impete perrumpat tandem, lucemq; malignam
Depugnans ęgrè facibus transmittat adactis.
Quin & deliquium patitur deforme subinde,
Quottidieq; cadens horrētibus occupat umbris,
Nec penetrat terras, solida neque cetera molis.
Lumine perpetuo tu qui plenissimus, vmbram
Non vllam pateris, cui cuncta nigrantia cedunt,
Cui neq; terra potest, neq; quidquã obsistere soldi;
Hoc magis ipse tua cupidum perfundere luce
Me potes: vt scelerum nebulis & nocte remota
Eniteam, formaeq; tua contempler honorem.
Quando tuos dabitur vultus dilecte videre?
O quàm grande foret munus, de cuius amore
Munera quaeq; mihi veniunt, vel cernere posse!
Tu mihi tu lasso requies, & dulce leuamen,
Et vigor & robur. sitienti tu mihi viua
Fons es aqua: tu ieiuno prelargus es altor:
Tu medicina ęgro, sancta & solatia mœsto:
Tu via, tu ratio, modus, & certissima rerum
Forma gerendarum: tu portus & aura secanti
Nauifragos fluctus tu meta suprema laborum,
Lux & vita mihi: tu prorsus es omnia solus.
Cetera nam sine te nil sunt non, ô bone, non est
Abs re, quòd totis animis mihi posceris ergo,
Conspectumq; tuum tanto feruore requiram.
Quando tuos dabitur vultus dilecte videre?
Plurima

Plurima sunt, à te mea quæ deflectere vota
Sæpè velint, alioq; oculos auertere nostros;
Dum me pestiferis captat vitiosa voluptas
Illecebris; nummi species blanditur, & vsque
Deliciæ vexant. operam tamen omnia ludunt,
Præterito quæ te mihi cumq; placere laborant.
Téne ego prætercam? téne ô dilecte relinquam.
Absit vt hac miseram subeat vesania mentem,
Absit vt anteferam tibi quidlibet, absit vt æquē;
Absit vt externis addictus amoribus vmquam
Impliciter. solus tu, quem mea diligit, ipse,
Quem petit hæc anima, es procul hinc agedum procul este
Cetera. dilecti nam sum detentus amore
Vnius. ille mihi præ cunctis perplacet vnus.
Is mihi deliciæ veræ; mihi sancta voluptas:
Ille mei curas habet & suspiria cordis:
Ille meas lacrymas omni mage nectare dulces
Eliquat: ille mihi lætissima iubila præstat.
Et facit hoc nondum conspectus, quid rear ergo
Facturum, cùm se clarum dabit ille videndum
Cælicolis semper qualis quantusq; videtur?
Tunc ego nec lacrymas, tunc nec suspiria corde
Vlla sciam: sed erunt lætissima iubila tantùm,
His longè potiora. dies sed quæ dabit illud?
Aurea lux propera: properent ea gaudia tecum.
Quando tuos dabitur vultus dilecte videre?
Interea fraudum insidias dum cetera tendunt
Atque agitant, vitamq; mihi discerpere tentant:
Vt

Vt canibus ceruus nemorũ viridantibus vmbris
Pulsus, & aprici fugitiuus Solis in æstu
Longa fatigato transmittit iugera cursu,
Et cruciata siti crebro trahit ilia pulsu;
Sicubi tum viridis deprendet fluminis vndam
Spem recipit, saltuq́ cito proiectus in amnem
Mox reparat vires, ac vertit in auia cursum:
Haud secùs ipse equidem venantũ multa pericla
Dum fugio non absque siti, non absque pauore;
Viuificos latices, vino meliora falerno
Fluminaq́ ardescens totis exopto medullis:
Quæ recreent vires, quæ dent euadere pestes;
Ambiguo donec vacuus discrimine, prorsus
Indemnes subeam sedes cœtusq́ beatos.
Quando tuos dabitur vultus dilecte videre?
Sed neque tunc tantũ, cũ sæua pericla minantur,
Te posco, fontesq́ tuos, haustusq́ requiro:
Sed quoties Aurora polos rubicunda retectos
Inficit, & tepidis fluctibus auricomus sol
Exoritur nouus, & terris caput edit honestum;
Cùm supera alta petit latus, curruq́ cadente
Occultat radios: & cùm idem nocte reducta
Oppositum nigris orbem circumuolat alis;
Te peto, te cupidis votis precibusq́ requiro.
Cominus & quamquam tua nõ datur ora tueri;
Non tamen hanc operã perdo. nã quã citò mentẽ
Tu penetras; penetrat tecum exoptata voluptas:
Cùm feriunt aurem voces diuinaq́ verba
Lætitiam superæ instillantia mentibus aulæ;

Ipse

Ipse mihi videor totis ardere medullis.
Nec vigil hæc de te capio solatia tantùm.
Sopior: & dulcis sopiti sensibus erras.
Excitor: atque animo tu mox occurris amanti,
Te subitò video mentis penetralibus imis.
Tu mihi primitiæ studiorum: nec satis esse
Te mihi primitias, studium tu solus es omne,
Tu mea vita, salus, amor, & mea gaudia solus.
Et quid eris mihi tunc, imò quid non eris, inquã,
Cùm desiderium nostri complebis amoris,
Et cupido dices, Coràm tibi quem petis, adsum?
Quando tuos dabitur vultus dilecte videre?

D. O. M.

Iacobus Augustus Thuanus.

O lux beata, qua parens
Haud ampliùs ferens genus
Mortale per tot secula
Perire inextricabilis
Leti illigatum cassibus,
Sibi coæuum Filium
Omni parem potentia,
Paremq́; magnitudine,
Expertem temporis, neque
Factum, aut creatum, sed pios
Vmbrante Spiritu sinus
Conceptum in aluo Virginis
Pacti memor mundo dedit:
Vt esset vnus, qui sua

Nullius

Nullius errati reus
Errata morte expungeret.
Lux ter beata & amplius,
Optata qua tandem salus
Affulsit, atque nubilis
Pulsa tenebra mentibus.
Fraus, astus & calumnia
Cessere, & implacabilis
Compressus est hostis furor:
Qui rugiens velut leo
Latrantibus qui faucibus
Famelicus tanquam lupus
Illuc & illuc cursitans
Quarit ferox quem deuoret.
O ante mundi conditum
Prognate & Eoüm iubar
Homo Deus, proles Dei,
O pacis Agne amabilis,
Qui factus es piaculum
Et mortis expiatio
Salute pro nocentium,
Nostri misertus ô Deus
Saclis in his nouissimis
Erroris atra nubila
Fulgore veri discute.
Tu purum ab omni crimine
Cor innoua pracordijs,
Tu nos perenni gratia
Fouentis vsque Spiritus

Infunde larga munera
Torpore captis sensibus.
Auge fidem: spe viuida
Mentes iacentes erige.
Geluq; pigro marcida
Diuini amoris acribus
Succende flammis pectora.
Bellum procul, turbas procul
Fac patrijs à finibus,
Et pace da fessis frui:
Vt constituta ciuium
In mentibus concordia,
Prauis soluti affectibus
Ecclesiæ concordiam
Ad sarciendam, industrium
Omnes laborem conferant.

Ad Iesum Christum Deum-Hominem, & salutis humanæ instauratorem.

Ianus Lernutius.

O flos Christe Dei, nomen venerabile cunctis:
Spes generis nostri, Virgine nate Deus;
Christe Pater: cuius pronumine dedita constant
Omnia quæ mundi maximus orbis habet.
Te Siren excelsa canat modulamine dulci,
Illo, quo superos flectit agitq; globos,
Orbibus insistens totidem, quot vertitur æther,
Musicus ad choreas quâ vocat astra chorus.
Infima te tellus auctorem lucis & vmbræ
Con-

Concinat, aeterno dedita honore tibi.
Elatumq́ caput trans ardua nubila tollens
Aetherium vero nomine Pana colat.
Oceanumq́ mare fluxu trepido atque refluxu
Te Dominum liquidi marmoris vsque sonet.
Ipse caua Triton testudine Nerea canum,
Nereaq́ & Neptunum ad tua iura citet.
Tum venti quacunque secant spatia aëris ampla,
Murmure te celebrem perpetuante ferant.
Siue per vmbrosos tractus streperũ incita motent
Brachia siluarum, frondiferasq́ comas;
Siue in arenoso decertent aequore, pleni
Laude tua in partes quatuor orbis eant.
Fonsq́ susurranti per prona volumine labens
Currat, & artificem gurgitis ore vehat.
Quotq́ sibi obiectos lapides saliendo propulsat,
Eliciat melicos tot varietq́ modos.
Grex auium vernans dum rura per auia cantat,
Gutturis obsequio te quoque ad alta leuet.
Inprimis te laudet homo, tua carmine pandens
Munera, nulli vnquam commemoranda satis.
Gratus homo, fandiq́ potens, cui nobile mentis
Ingenium virtus excitat igne tuo.
Nam tu nos patria despectas mitis ab arce
Semper, & inflammas ad pia quaq́ fauens.
Quid ni te nobis speremus semper amicum,
Nobiscum dici cùm Deus auctor ames?
Quos propter caeli placuit tibi linquere regnum,
Multaq́ terrigena vix toleranda pati.

Ergo

Ergo nouem menses defusum in viscera Verbum
Clausum virginei continuere sinus.
Et quem non mundi complectitur ambitus ingẽs,
Corporis es stricti visus habere modum.
Ipse Deûm genitor, rerum intima origo, fuisti
Humana gentis pars, opus atque tui.
Ætatisq́; vices dubias dignatus adire
Monstrasti verum facta per alta Deum:
Sæcula ne porrò malè perdita lubricus error
Pergeret adductis indupedire plagis;
Altoremq́; suum soboles nesciret Adami,
Heu nimis indigno cæca furore diu.
Te stupuit partus diuini conscia mater:
Sensit & attonitum corde micante pecus.
Submisitq́; caput pronum, ceruice repanda
Afflatu cupiens te vegetare pio.
Te vaga per certas sectantes sidera stellas,
Vidêre in superis significante polo:
Atque astri ductoris iter lumenq́; secuti
In terram abiecti percoluere Magi.
Noxia criminibus fœdis tu pectora soluis:
Inq́; statum leto corpora fusa iubes
Attolli recreata, licet iam mole sepulchri
Obruta, & immundo sint cariosa situ.
Certa tibi ad numen deducunt stamina Parcæ:
Tu vestire glomis, tu vacuare colos;
His potes vt libitũ est tabulasq́; adamãte rigentes
Edicti molles reddere lege noua.
Tartara tu penetras, Erebiq́; necisq́; latebras

Excutis, & cogis luce perire tua.
Pallidus expauit galea sub tegmine Pluto:
Pressa metu tenuit Cerberus ora tria.
Eumenides vultum trepidis texêre cerastis:
Verbera contortis nec sonuere flagris.
Cessit Auernalis regio te vindice fracta:
Exoptata piis manibus orta dies.
Nasci principium nullum tibi contulit vni:
Attulit exitium nec tibi triste, mori.
Sed noctis tetrica pulsa caligine tetra
Ad cæli sursum templa, Patremq; redis.
Atque ita detersis abigens contagia terris
Cuncta serenantis lætitiæ imbre rigas.
Tu Rex, tu Dominus, mens tu splendorq; Parëtis:
Inq; vna trinus simplicitate Deus.
Quid nisi pro cunctis sacra victima? credat obisse
Te quisquam, qui fons ipse salutis eras?
Huc tamen egit amor: pro sontibus vltima passus
In mala sic vltro ne raperemur, obis.
Sancte Deus, succende tuis mihi pectora flammis:
Ardeat in laudes & mea lingua tuas.
Ardeat, & plectro veluti percussa potenti,
Intendat resonas articulata fides.
Perpetuumq; melos manet tibi flumine viuo,
Vt fons æternas eiaculatur aquas.
Ecce genu flexo supplex tibi sternor ad aram:
Supplicis adsertor ius animæ vnus habe:
Ne niger ille manu conserta vindicet illud:
Excubijs ideò peruigil vsque vacat.

Ambitione vaga nos circans, more leonis
Quærit desertos quos auido ore voret.
Templa tibi statue mentis præcordia nostra,
In quibus vt propriis vsque morere volens.
Verba mea adscendant adoris ceu nidor in altum,
Quæ tu pacata leniter aure trahas.
Arabe pro myrrha lacrymas dent lumina, proq́;
Assyria nardo carmine Musa litet.
Sis bonus ô felixq́; tuis: sic sæcula adorent
Cuncta Redemptorem te, Dominumq́; colant.

Ad eundem Dominum nostrum Iesum Christum.

Salmonius Macrinus.

Rerum Christe opifex optime maxime,
Summi æquæuæ Patris qui Sapientia
Cæli culmine ab alto
In terræ loca deuolas.
Aluum nec Mariæ Virginis integram
Fastidis, hominem assumere cogitans,
Nostra & tegmine numen
Forma abscondere destinans.
Si mundi ob maculas credo datum neci,
Effudisse tuumq́; in cruce sanguinem,
Vt lustrata lauacro
Plebs vitam pia viueret
Æternam: ambrosiis pastaq́; eduliis,
Atque epota sacro nectare cælitum
Ferret laude perenni

Diuinam omnipotentiam.
Actis da veniam propitius meis,
Da quæ recta sequi, deterioraq;
Euitare tenaci
Sancti propositi fide.
Fac Euangelij defluat vt tui
In mentes hominum spiritus, efficax
Expurgare quod obsit,
Nigrum in candida vertere.
Hinc hinc pestiferæ sint procul hæreses,
Tinctæ & tabifico dogmata toxico,
Neu fallaciter intret
Trux caulas lupus in tuas.
Doctrina pecudes campo hagiographa
Da diuina tuas gramina pascere,
Cælestiq; sagina
Frugis gliscere mystica.

Ad eundem Iesum Christum precatio.

Ianus Lernutius.

Christe Dei proles summi, qui summus & ipse
Cum genitore Deus regnas super æthera, sancti
Flaminis in cœtu consorti trinus & vnus.
Nec res ex alto contemptim despicis illinc
Humanas, sed mitis ades protector vbique
Omnibus, hinc ad te suspiria qui pia fundunt
Pectore submisso, numenq; tuum anxij adorant,
Seu fors incumbat grauior, seu dira-fremẽs mors
Cuspidis intentet non euitabilis ictum:
Cùm meus ex isto migrabit corpore sursum
Spiritus,

Spiritus, instantis percussus frigore leti:
Cùm lingua vires solitas vis morbida tollet,
Hiscere nec potero, miseri miserere Redemptor;
Tunc pietate tua vitiorum oblita meorum
Me venia licet indignum tua gratia seruet.
Insidiasq; feri defendat Alastoris à me,
Ne capiar laqueis, quos callidus implicat auceps
Ille, hominum generi semper metuendus in arctis.
Tunc præsens adsis trepido, dum cor mihi pulsu
Deficiente micans præcordia lassa ciebit:
Vt maneat supplex & constans muta voluntas.
Solo in te nobis posita est fiducia Iesu,
Pro quibus adsertor non dedignatus obire
Sponte tua leto caput obuius ipse sacrasti.

Cantici Diuorum Ambrosij & Augustini paraphrasis.

Salmonius Macrinus.

Te Deum pleno celebramus ore,
Voce te clara Dominum fatemur,
Teq; supremum veneratur omnis
Terra parentem.
Siderum flammis tibi pictus æther,
Ætheris summi Genij volucres,
Et Potestates superûmq; densus
Concinit ordo.
Sancte io rerum Pater atque Princeps,
Sancte io immensi dominator orbis,
Sancte io cuius replet alta cœlum &
Gloria terram.

Te chorus præsignis Apostolorum,
Te Prophetarum numerus verendus,
Teq; collaudant sagulis amicti
Martyres albis.

Quaq; terrarum spatiosus orbis
Ambitu lato patet, à recenti
Sole ad occasum, veneranda rite Ec-
clesia adorat

Te Patrem, Natum pariterq; & almum
Spiritum, queis par tribus est potestas,
Par item virtus, & idem haud eodem
Nomine numen.

Gloria tu Rex bone Christe, summi
Tu Patris proles, qui homines ab Orco
Liberaturus gremium pudicæ
Virginis intras.

Tu triumphatis lemurum cateruis,
Mortis & dura feritate victa,
Regna cælorum populo fideli
Alta recludis.

Tu sedes dexter solio Parentis,
Vnde nos spectas oculis benignis,
Et pia humanos miseraris, ô Rex,
Mente labores.

Crederis iudex (operosa mundi
Cùm ruet flamma populante moles)
Esse venturus, sua cuique vt æquus
Præmia reddas.

Ergo te propenso animo colentes

Christe,

Christe, vt ignoscas famulis precamur.
Quos redemisti roseo profusi
Sanguinis imbre.

Fac tuos ciues numeremur inter,
Quos serenati tenet aula cæli,
Nectaris succo liquidi fruentes
Ambrosiaq;.

Fac tuam plebem (tibi enim supremus
Tradidit regnum Pater omne) saluam:
Et coheredum bene dic cohorti
Christe tuorum.

Et manu oblata rege semper illos,
Nec sinas incedere calle varo,
Néve cæcorum scelerum per atras
Ire tenebras.

Per dies laudem tibi dictitamus
Singulos, & te veneramur almum,
Antelucanis humilesq; passim
Psallimus hymnis.

Da citra noxam diem vt exigamus
Hunc, Pater, nostri miserere clemens
O Pater, clemens miserere nostri, &
Parce redemptis.

Nos tua vnius bonitate fretos
Luce perfundas veniens superna,
Spes sitas in te bone Christe nulla
Tempore falles.

Myſterium carnis Chriſti.

Iul. Cæſ. Scaliger.

Rorate poli deſuper, & nube coruſcet
Iuſtus Dominum, terraq́ germinet ſalutis
Incognita myſteria, principemq́ pacis.
De ſede quidem victima fluxit illa cæli:
De terra quibus artibus exeat ſupremus
Puncti vice terram quatiens conditor orbis?
Anne eſt vterus Virginis illa terra ſancta,
Fulgentis vbi faculis perfuſus amoris
Summus Deus hic homini iungeretur imo?

Genethliacon Chriſti.

Hieronymus Faletus.

Exultemus, adeſt Chriſti lux conſcia partus,
Vera Dei ſoboles extulit ore iubar.
Exultemus, habent præſentia numina terras:
Pulſa metu Stygio delitet Hydra lacu.
Exultemus, Homo rerum moderatur habenas:
O quanta eſt homini gloria, quantus honos.

De natali Domini.

Scæuola Sammarthanus.

Ecce ſalutiferi redeunt ſpectacula partus:
Eia age diuinos Angele pande modos.
Cuſtodes ouium, Regeſq́ Magiq́ puello
Certatim plena munera ferte manu.
Hic ille eſt, peperit quem Virgo hominemq́ Deumq́,
Primaui ſordes patris vt elueret.
At vos ô ſtulti (tuba vana) ſilete Poëtæ,

Vos

Vos qui homines falsò fingitis esse Deos:
Nam meus, vt fastus hominum calcaret inanes,
Se Deus humanam transtulit in faciem.

In Domini natalem, mortem & ascensum.

Iacobus Augustus Thuanus.

En Domini natalis adest, cui terra fretumq;
Seruit, & atherij regia celsa poli.
Quis putet humanis voluisse exire sub auras
Legibus, humanis & voluisse mori?
Summa Dei facit hoc vis & constantia amoris,
Quo nos ille velut pignora cara fouet.
Scilicet vt puros nascentibus innouet ortus,
Humana nasci conditione tulit.
Solueret & nexos vt primi errore parentis,
Humana voluit conditione mori.
Inde petit cælum, sæuaq; à vulnere mortis
Illæsos secum nos super astra rapit:
Prima sed illa quidem immeritis est obuia nobis,
Non nisi at emeritis vita secunda datur.

In natalem Domini.

Ioachimus Bellaius.

Nocti clara dies, cedat lux alma tenebris,
Tu quoque iam cælum cedere disce solo.
En nouus exoritur Phœbus Regemq; secuta
Labitur in terras regia celsa poli.
Cedat Idumæis Latialis laurea palmis:
Submittatq; iugo Roma superba caput.

Ecce triumphato victrix clementia mundo
Erigit inuicta parta trophœa manu.
Pastorum turbis cedant longa agmina Regum,
Et cedant paruis tecta superba casis.
Pastores natum inueniunt sub paupere tecto:
Sub cuius pedibus terra fretumq; iacent.
Miretur natura parens, caussasq; requirat,
Et summi agnoscat facta stupenda Dei.
Virginei tumuere sinus, vteroq; pudico
Concipiunt hominem, parturiuntq; Deum.
Æternùm lateant clauso sub carcere Diræ:
Et stupeat nigra tristis Auernus aqua.
Ecce noua inuicta nectuntur vincula morti:
Ecce suas tandem perdidit Orcus opes.
Ergo polus regem, victorem Tartarus ingens,
Auctorem agnoscant cuncta elementa suum.

In eundem Natalem.

Ianus Lernutius.

Quis calor hic velox me tollit ad athera sursum?
Nata est lætitia qua mihi caussa mea?
Iam videor superis immistus obire choreas:
Et cæleste auida percipere aure melos.
Exultant trepidis præcordia concita fibris,
Cor salit, & maior vis animum intus agit.
An quia nunc dia redeunt sollennia noctis?
Sic est, laude omnes nox premit ista dies,
Qua Deus humana velatus imagine noster
Audijt è pura Virgine factus homo.

Ha

Hac est nocte salus miseris mortalibus orta:
Hac sumus erepti nocte plagis Erebi,
Induerant arcto qua tot modò secula nexu:
Ex quo peccauit primus in orbe parens.
Lux hac nocte facem nobis accendit amicam:
Qua sacer emicuit relligionis honos.
Et veterum pulsis erroribus vndique tristes
Acta iterum in tenebras spurca superstitio est.
Degeneres procul hinc cura, procul ite labores,
Et quidquid pectus sollicitudine edit.
Vos huc vos contrà festo pede gaudia adeste:
Nox est diuinis hac celebranda modis.
Dicite Pegasides nocti bona verba beata:
Dicite io matri, dicite io puero:
Cælesti puero, cuius vagore serenum
Redditur, & rebus qui solet esse vigor.
Nam simul hic natus, sunt secula lapsa renata:
Antiquum mundus deposuitq; situm.
Matri alma, augusta: qua pragnās Flamine sācto,
Enixa auctorē est Virgo hominū atque Deûm.
Virgo intacta: Rhea cedit cui gloria matris,
Qua falsos orbi tot dedit vna deos.
Hanc prisci noctem optarunt vidisse parentes:
Frustra. Nox æuo nostro ea clara fuit.
Sidus ab Eoïs primores impulit oris,
Ad pueri cunas approperare Magos.
Dux quibus vsque fuit, præfixo limite donec
Texta super tegetis non bene tecta stetit.
Lacteolo ore micans, tanquam sic diceret, Hic est,

Hic ille est, coràm cernere quem cupitis.
Vile magar vobis ne sit contemnere, nec vos
Submisso pudeat procubuisse genu.
Promite tura Deo: Regem thesaurus honoret:
Smyrna secutura det monumenta necis.
Parte alia vigiles ouium puer admonet ales,
Vrbe procul Numen progenitum inter agros.
Cumq; metu tenebras abigens trepidantibus illis
Æterni prodit consilij acta palàm.
Surgite pastores, siluarum candida pubes,
Surgite, ait. Regem cominus ecce, oculis
Vsurpare datur: gressus celerate, propinqui
Tegmine sub tugurî, stramineo inq; toro
Sugere Regina spectabitis vbera matris.
Nec plura. intentam protinus ad citharam
Aurea nubifugo permulcens sidera cantu
Fratribus aligeris se socium addit ouans.
Accepere fidem præmissa oracula Vatum,
Nulli vltrà Isacidæ sceptra gerenda manu.
Signaq; tot miris olim monstrata figuris,
Clarè nunc ipsa re manifesta patent.
Restitit effuso tacitis de nubibus imbri,
Lanosum vellus tergora sicca gerens:
Cetera cùm latè circùm perfusa maderent
Agmine deciduo præcipitantis aqua.
Porta Deo patuit solido munimine clausa,
Arsit in innocuo flammeus igne rubus.
Arboris emersit germen de stirpe senecta:
Prodijt è Patrum semine stella maris.

Rex

Rex ita Christus adest qui pacem praebeat orbi:
Quiq; Patrem exoret conciliator adest.
Agnus adest sine labe, crucis mactandus in ara:
Hostia pro nostris maxima criminibus.
Excussa ut meruit regno est Iudaea rebellis:
Iamq; alienigena sub iuga colla dedit.
Gaudete admissa gentes. ubicunque fideles:
Omnibus è pleno gratia fonte fluit.
At tu virginei partus nox conscia salue:
Dum viuam, numquam non tua festa colam.
Tu mihi decurso feliciter orbe, quotannis
Alba redi, numquam non tua festa canam.

PSALMI SEPTEM

METANOHTIKOI

CVM LITANIIS, ALIISQVE PRECVLIS quae eis iungi solent.

Psalm. I.

Dom. Lampsonius.

NE maxime vltor, ne tuus obruat
Me debitorem supplicij furor:
Neu dextra bile exaestuantis
Horribili feriat flagello.
Magno satis sit pro tibi crimine
Paruum benigno supplicium Patri:

 Mentem

Mentem indue erga me paternam
Et miseri miserere nati,
Cui corpus infirmum, horrida cui lues
Turbata miris ossa quatit modis,
Ipsasq; consternati ad imas
Vsque animi penetrat medullas.
At tu quousque ô optime maxime,
Quousque cessas ô opifer Deus?
Conuertere: haustum panè auari
Faucibus ex Erebi reuelle.
Serua occidentem; quippe priùs tuus,
Quàm lenis esse & parcere desinas.
Quin & tuum, quo dignus vnus,
Te decus & tua fama tangat.
Quam nostra salui, te sed & auspice
Latum per orbem laude feret lyra.
Quis mortuus, quis cinis illam
Immemoris memorabit Orci?
Si me atra cades, si meum adultera
Contaminauit nequities torum;
At me & torum noctes per omnes
Assiduis lachrymis lauabo.
Pœnarum at heu, heu! iam satis & super.
Tabes supremo pra mihi proxima
Mœrore: & insanùm tuentur
Lumina, dum malefacta, dum me
Dira impijs conuicia ab hostibus,
Non fine, non vllo exagitant modo,
Abite iniqui. en ille nostros

Audijt,

Audijt, en, Deus eiulatus:
Nostrasq́ clemens audijt & preces
Suscepit. i, grex improbe: te pudor
Pauorq́ percellant, fugaq́
Præcipiti dare terga cogant.
Deo Patri sit gloria, Filio
Sit gloria: Aura gloria sit sacra
Nunc, semper, æternùm, omniumq́
Sæcla per omnia sæculorum.
Da sempiternam, da requiem tuis
Hac luce cassis, pro quibus hæc, Deus,
Precamur: æternumq́ fulge
Lumen eis meliore cælo.

Psalm. II.

Beati, iniquè facta quibus sua
Remissa, & alta, tecta, vt humo: quibus
Crimen Deus non imputauit,
Mensq́ doli quibus omnis expers.
Quos non suprà se elatus amor sui,
Aut sustinendus coram alio pudor
Deterret inuictos, apertè
Huic sua quin malefacta pandant.
Ego at dolosè quæ malefeceram
Tacere pergebam improbus heu! mihi
Impostor ipsi; voce quamuis
Te querula assiduè cierem.
Sed tu doloso callidior Deus,
Vt confitentem me faceres reum,

Totus

Totus mihi incumbens graui me
Nocte dieq́ȝ manu premebas.
Hinc intus altè pus scelerum latens
Cor lancinabat: ossa medullitus
Rodebat, exsuccamq́ȝ pulpam
Perpetua mihi tabe edebat.
Hac inter anceps quid facerem? En age,
Dixi, fatendum est: mitte superbiam, &
Malum pudorem; iamq́ȝ gnaro
Cuncta licet tua crimina ede.
Neu dira mentis vulnera saucia
Celator vltrà dissimulaueris.
Vix hac apud me. tu repentè
Omne mihi scelus en remittis.
Vix nempe duplex audierat nefas
Vnâ fatentem voce Nathan tuus,
PECCAVI; *ego audiui vicissim*
Has, TIBI *vtrumque Deus remisit.*
Hanc ergo eodem, tempus erit, modo
Cùm poscet omnis te veniam pius,
O lene Numen: quippe vt omnes
Labimur, hanc opus est petamus.
Donatus illâ quisquis abiuerit;
Huic nullus vndarum ingruet impetus;
Non, fluctuum facunda prisci
Tempora si redeant Noëi
Tu solus omni perfugium à malo:
Tu solus omnis lætitia dator:
Solus cruento cinctum ab hoste

Me

Me medijs rapis è periclis.
Sic te precabar: sic tibi gratias
Gaudens agebam, quasq́ȝ potis, lyrâ
Laudes sonabam: cùm benignus
Ore sacro sacra dicta promens,
Velut merenti si studeas mihi
Præstare te gratum, ô pietas! refers:
INTELLIGENTEM, *fide fili,*
Te faciam; vtq́ȝ mihi probatam
Quæ recta demum, vita ineas viam;
In te irretortos figam oculos: caue
Ceu mulus excors aut magistra
Sis equus impatiens habenæ.
Ambos habenis, ne noceant, premas.
Flagella iniquum multa virum manent.
Clementia in me spem locantes
Parte fluent mea circum ab omni.
Gaudete iusti, cara Deo cohors,
Pulsante vobis pectora gaudio:
Omnesq́ȝ mente recti ouate.
Sed referat Deus hinc honorem.
Deo Patri sit gloria, Filio
Sit gloria, Aura gloria sit sacra
Nunc, semper, &c.
Da sempiternam, da requiem tuis
Hac luce cassis, &c.

Psalm. III.

Ne maxime vltor, ne tuus obruat

Me

Me debitorem supplicij furor:
Neu dextra bile exaestuantis
Horribili feriat flagello.
Stant fixa carni tela mea tua
Tui pauores iudicij: tua
Me criminum vindex meorum
Nocte dieq; manus fatigat.
Membris stuporem languidum inertibus
Induxit ira conscia mens tua:
Quin ossibus peccata & ipsis,
Nedum animo, prohibent quietem.
Quid mirum? vbi altè fœda meum supra
Aggesta surgunt crimina verticem;
Dorsumq; iniqua mole pressum
Desuper vt graue pondus vrgent?
Numquam (pudendum) numquam animo meam
Tristi reuoluo stultitiam; mihi
Corrupta marcentis putrescat
Plurima quin animi cicatrix.
Ibam recuruus colla miser, meos
Et lacrymosis terram oculis notans
Recogitabam ardente plenos
Nequitia furijsq; lumbos.
Nil heu! in omni iam mihi corpore
Sani relictum; cordis vt anxij
Eneruat ingens ægritudo
Cuncta mihi pereditq; membra.
Tantis iacebam angoribus vndique
Constrictus; humani vt gemitus vice

Reddente rugitum cubili
More feri fremerem leonis.
Te coram ô uno omne meum, meum
Coram omne te desiderium, Deus.
Nec te mei nil nescientem
Corde latent gemitus ab imo.
Sed ecce, rursum mens mihi turbida:
Notaq; neruos destituunt suos
Vires: fugit lux alma: fracti
Nocte oculi gemina teguntur.
Ipsimet, ipsi cominus impetunt
Vicini, amici: turba clientium
Adoritur, & qui diligebant
Antè, necem modò moliuntur.
Iamq; ecce, atat vim, iam mihi vim parant.
Sed cuncta surdis excipiam auribus,
Ad omnia obmutescam, & ore
Stans tacito maledicta, nec vel
Nutu refellam. ô sola mihi super
Spes occidenti, sola salus Deus,
Audi benignus, atque serua
Me: fer opem, fer opem vocanti.
De me superbus, ne sine, gaudio
Triumphet hostis: me, mihi lubrico
Pes fortè si quid motus erret,
Risibus excipiens amaris.
En me flagellis, en scelera ob mea
Cadi paratum. me licet, heu! meus
Surdis sat intus sat flagellat

Ver-

Verberibus sine fine mœror.
Quin & fatendis criminibus meis
A me ipse vindex, supplicium expetam:
Nec vlla non & semper altâ
Mente reposta mihi manebant.
Sed viuit atrox, & valet, & mihi
Præpollet hostis: pullulat in dies
Grex impius, crescitq; de se
Haud meriti malè dirus osor.
Malis rependens qui bona, detrahit
Irrisor ater, quòd rigidus mei
Factus reprensor, te iuuante
Me melior fieri laborem.
Ne me, ô Deus, ne desere mi Deus.
A me nec vno latiùs vngue abi:
Da supplici, da te clienti,
Da, mea sola salus, iuuando.
Deo Patri sit gloria, Filio
Sit glòria: Auræ gloria sit sacræ
Nunc, semper, &c.
Da sempiternam, da requiem tuis
Hac luce cassis, &c.

Psalm. IV.

O dìe, ô ingens, maxime, præpotens,
Clemens sed idem atque optime, me tua
Clementia dignare, & vltro
Mœstum animi miserare sontem
Clementiâ æquâ cunctipotentia,

Impunè

Impunè vel sic dicere si mihi,
Maiore; cùm qui cuncta vincis
Te tamen hac Deus ipse vincas.
Iniquitatem deleat hac meam,
Iniquitatem deleat, abluat,
Emendet, emundet, nec vllam
Ampliùs hinc maculam relinquat.
Iniquitatem nam fateor meam,
Agnosco, & eius dira mihi nimis,
Horrendaq; auersantem, & agrum
Ante animum volat vsque imago.
Fidum ministrum perfidus Vriam
Solo peremi tu mihi conscio,
Viui & perempti per scelestum
Coniuge adulterium potitus.
Hoc solus ô cui cuncta patent, meum
Tu quale nosti, sit geminum nefas,
Coram sed omni nunc vtrumque
Orbe mihi cano primus index:
De te quis errans ne malè iudicet;
Delicta propter non sibi cognita
Si fortè te mecum videbit
Iudicio asperiore agentem.
Ignosce fasso. quippe tua licet
Tu veritatis filia amans, tua
Sapientia dignatus olim
Sis mihi sacra aperire templa:
Prisci memento me vitij tamen
Contaminato labe satum patre,

Foetoq;

Fœtoq; conceptum parentis
Ventre pari vitio inquinata.
Adsperget immundum, ô Deus, ô tua
Hyssopus: en mox mundus ego. abluet
Manus: niuem candore vincent
Membra tuis mea tincta lymphis.
Mœstis recentem lætitiam auribus
Infundat oris mellea vox tui, &
Præ gaudio, quæ contudisti,
Exsilient recreata membra.
Auerte noxis lumina turpibus:
Admissa dele. cor dare purius,
Et spiritum dignare castis
Visceribus renouare rectum.
Ne me repellas à facie tua,
Neu Spiritum à me tolle tuum, Deus.
Me pristino princeps vigori
Lætitiæ tua reddat Aura.
Gratam improborum grex tibi semitam
Addiscet exemplo & monitu meo; &
Tui impiè contemptor, ad te
Iam pius & melior recurret.
Tantùm ô Deus, me, sola salus mea
Deus cruento à crimine libera,
Tuam sonabit lingua nostra
Nostra lyra comes æquitatem.
Tu labra pandes: tu mihi nescium os
Fari figurans, te facilem, bonum,
Lenem, pium, donabis omnium

Omnia

Omnia ferre hominum per ora:
Nam multa cordi non tibi victima.
Quæ si fuisset, multa meis foret
Egressa septis, sed profectò
Nulla holocausta tibi placebunt.
Contributatus spiritus est Deo
Præ grata cunctis unica victimis:
Cor anxium ob delicta, & ægrum
Atque humile haud nihil putabis.
Fac ô Sioni fac, Deus, ô tua
Bonus benignè: diruta vt inclyta
Vno fabro ac fabrûm magistro
Mœnia te Solymes resurgant.
Tunc sacra tantùm grata pia tibi
Rectaq; vita: tunc tibi sanctior
Cruoris immunes sacrabit
Mysta tuam vitulos ad aram.
Deo Patri sit gloria, Filio
Sit gloria, Auræ gloria sit sacra
Nunc, semper, &c.
Da sempiternam, da requiem tuis
Hac luce cassis, &c.

Psalm. V.

Audi meam ô æterne Deus precem:
Et clamor ad te perueniat meus.
A me tuum ne flecte vultum.
Prona mihi misero sit auris.
Quo te vocáro cumque die, statim

Vocatus

Vocatus audi. nam propero. mei
Euanuerunt quippe fumi
More dies vacuas in auras.
Ossa aruerunt, vt cremium aridum:
Fœnum vt resectum triste cor aruit
Præ mentis oblito dolore
Velle meo mihi pane vesci.
Suspiriis præ continuis macro
Nudata pulpis ossa cutis tegit:
Siluester & deserta qualis
Per loca onocrotalus, ferebar.
Bustisue quondam aut culminibus domus
Vt derelictæ nycticorax sedet
Inauspicatum noctis atræ
Horrificas crocitans per vmbras;
Me solum, vt altis passerem in ædibus,
Tectis latentem, crimina nox mea
Clauso reuoluentem cubili
Plurima peruigilare vidit.
Nullo mihi non improbus, heu mea
Obiectat hostis crimina tempore,
Quin antè laudator, meum nunc
Opprobrium exitiumque iurat.
Mœrentis inter hæc cibus est cinis.
Vis lacrymarum pocula temperat;
Sonti tuam indignantis altæ
Mens mihi dum meditatur iram.
Quem celsiori quo priùs in gradu
Dexter locâras; nunc grauiùs premis

Allisum,

Allisum, in immundoq; lauus,
Puluere voluis humi iacentem.
Euanuerunt, me miserum! mei
Euanuerunt, vmbra velut, dies:
Et arui vt fœnum recuruis
Falcibus agricolæ resectum.
Tu longa longis sæcula sæculis,
Tibi ipse numquam nectere desinis,
Nomenq; vt hæc, sic illa, & omnis
Inde tuum memorabit ætas.
Surgens Sionis tu miserebere,
Nam tempus vt iam, quod potes, & vales,
Iam venit ô, iam venit illud
Dulce tibi placitumq; tempus.
Quippe & ministris, ecce, tuis tua
Sacri Sionis iam lapides placent.
Sioniam iam terram, atroces
Antè licet, miserantur hostes.
Tunc te timebit, te venerabitur
Externa legis nescia gens tua:
Tibiq; Reges orbis omnes,
Qui tuus est, tribuent honorem.
Æquata summo mœnia nam solo
Deus Sionis restituit: sua
Orbi vniuerso quem videndum
Gloria, conspicuumq; tollet.
Respexit æquus sollicitus virûm
Ipsum inuocantum mente humili preces,
Nec spreuit. Hac scribat futuro

Vaticinans mea penna saclo:
Sera ut benignum posteritas Deum
Collaudet: illum qui solio suo
Terras ab excelso tuetur
Lumine peruigili iacentes.
Vinctorum ut occultum gemitum auribus
Exceptet, atra & liberet à nece
Ipsius in lata Sione
Qui celebrent Solymaq; laudes.
Concursus ingens undique ciuium
Atque exterorum, quin populo inclyta
Accedet & Regum potestas:
Teq; canent populi atque Reges.
Hac sapè mentem spes recreat meam.
Sed fracta rursum & mœstitiam in suam
Furtim relabens, sic subinde
Conqueritur: Mihi fregit aui
Deus virilis robur, & amputans
Decreta vita fila meum ob nefas
Me claudere offensus dierum
Dimidium renuit meorum.
Mox orat: At tu ne renue ô Deus,
Tantine ut annis sit tibi pauculis
Donare me labentis aui
Innumerabilibus fruenti?
Tu nempe terra principio globum
Fundasti: & artis calum opus est tua.
Sed terra, sed calum peribunt,
Ipse manes super, & manebis.

Calum

Cælum ſeneſcet, veſtis uti vetus,
Ac terra. cælum tu ſimul & ſolum
Mutabis, idem ſemper ipſe:
Deficiet tua te nec ætas.
Seruorum apud te perpetuò incolent
Nati ac nepotes: nulla perennibus
Eos, eorum aut ſemen à te
Vis rapiet violenta ſæclis.
Deo Patri ſit gloria, Filio, &c.
Da ſempiternam, da requiem tuis, &c.

Pſalm. VI.

Alto è malorum mens barathro mea
Clamauit ad te voce mea, Deus.
Exaudi & attentas precanti
Eia adhibe mihi pronus aures.
Iniquitates, ſupplice ſontium
Si voce flecti, ſi prece, neſcius
Exactor obſerues; quis eheu!
Magne Deus, quis erit ferendo?
Sed tu benignus das veniæ locum.
Sed mitigari te precibus ſinis
Hinc te, ſed ipſo te iuuante
Et iuuat, & queo ſuſtinere.
Promiſſa propter te tua ſuſtinet
Mens ſuſtinentis, quàm priùs, æquior:
In teq; iam fidenter vno
Spem locat, & mea figit omnem.
Votis morantem non ita ſurgere
Nocturnus auroram excubitor petit;

Ad te Deus votis vt vnum
Vsque animus mihi & vsque anhelat.
Stirps Isräelis sancta, Deum videns
Edocta & exemplo & monitu meo
Suam in Deo fidenter vno
Spem locet & pia figat omne n.
Clementia nam plurima apud Deum, &
Redemptionis vis habitat: suos
Ille Isräelitas ab omni
Crimine suppliciоq; soluet.
Deo Patri sit gloria, Filio, &c.
Da sempiternam, da requiem tuis, &c.

Psalm. VII.

Audi meam ô æterne Deus precem,
Audi benignus: quaq; tua est fides,
Tenaxq; iusti mens & æqui,
Aure meos bibe vtraque questus.
Mecum nec in ius iam rigidus veni.
Te quippe coram nemo hominum, nisi
Parcas, sat absoluetur. O iam
Parce tuo bone, parce seruo.
Ecce hostis atrox hanc animam appetens,
Vitam laborat sternere humi meam: &
Queis obteguntur luce cassi
Me properat rapere ad tenebras.
Hinc intus, heu! mens æstuat anxia,
Pectusq; pulsans attonitum pauor
Percellit: omnem inuisa membris
Cura animoq; negat quietem.

Hæc

Hæc inter agrâ, prisca recogito,
Sim mente quamuis, tempora: & intimo
Identidem contemplor altè
Facta animo manuum tuarum.
Ad te eriguntur brachia: duplices
Tenduntur expansa assiduè manus:
Et more terra mens anhelat
Æthereum sitientis imbrem.
Audi obsecrantes ocyùs, ocyus
Audi Alme voces: cor mihi deficit.
Vultum tuum ne auerte; præceps
Ne ferar horribile in profundum.
Ostende rectam, qua gradiar, viam
Ad te erigenti mentem animi. fero
Ab hoste me defende; solum
Perfugium mihi, solum asylum.
Fac mane primo, fac citò, sentiam
Mei misertum, in te Deus vnico
Fiduciam incunctanter omnis
Spemq; opis vsque locantis omnem.
A temetipso iussa facessere
Discam magistro discipulus tua:
Me Spiritus Princeps euntem
Te duce per sola plana ducat.
Vitam mihi pro iustitia tua,
Tuiq; sancti nominis ob decus
Seruabis, ac sauis pauentem
Hanc animam eripies periclis.
Omnes & hostes, qui mihi, qui mea

Vita scelestas insidias parant,
Perdes ad vnum vltrice dextra,
Quippe tuo Dominus clienti.
Deo Patri sit gloria, Filio,&c.
Da sempiternam, da requiem tuis, &c.

Delicta patrum nostraq; te Deus
Sontes precamur, ne reminiscere:
Vltorem eorum non seuerum
Te grauibus iuuet esse pœnis.
Parce, ô benignus, parce tuo gregi,
A te redemptus sanguine qui tuo,
Neu sempiternùm in nos merentes
Heu licet hanc tua duret ira.

LITANIÆ.

Ἐλέησον ἡμᾶς κύριε. Κύριε ἐλέησον ἡμᾶς. Ἦπε κύριε ἐλέησον ἡμᾶς. Χριστ' ἄκουσον, ἦ-πε Χριστ' ἐπάκουσον ἡμᾶς.

O sempiterne, ô omnipotens Pater,
O numen enarrabile nemini,
O qui creasti, qui creata
Cuncta regis, miserere nostri.
O Nate Patris mens, Sapientia,
Per quem creauit cuncta Pater: Deo
O Patre, mundi liberator
Nate Deus, miserere nostri.

O Aura princeps, Spiritus ô sacer,
O sempiternus Spiritus à Patre
Natoq; & ipse æternus, ipsis
Parq; Deus, miserere nostri.
O sancta, ô ingens, optima, maxima,
O comprehendi & nescia diuidi,
Trias, Pater, Fili, Aura, trine &
Vne Deus miserere nostri.

S. Maria.

O sancta, felix, ô Maria, ô Dei
Sponsa atq; mater, filia qua prius,
O virginum Virgo; iuuari
Posse tuis precibus precamur.

S. Michaël.

O sancte, prisca Ecclesia Princeps
Quo tuta quondam, nunc Michaël noua
Felicius gaudet; iuuari, &c.

S. Gabriel.

O sancte, summis infima, Gabriel,
Caloq; terram copula nuntio
Æterna quo iunxit; iuuari, &c.

S. Raphaël.

O sancte, iustis dux Raphaël via, vt
Quondam Tobæo longum iter patre
Misso à Tobia; nos iuuari, &c.

Omnes SS. Angeli & Archangeli.

O Angelorum sancta cohors, & ô
Archangelorum ac Spirituum omnium
Omnis beatorum; precantum

Poscimus auxilium precantes.

S. Ioannes Baptista.

O Antecessor sancte Hominis-Dei
Index, & idem gurgite mystico
Baptista, Ioannes; iuuari
Posse tuis precibus precamur.

Omnes SS. Patriarchæ & Prophetæ.

O Patriarcharum inclyte, & omnium
Christo affuturo digna canentium
Cœtus Prophetarum; precantum
Poscimus auxilium precantes.

S. Petre.

O sancte, herilem Petre gerens vicem,
In cuius ipsum corpore crux herum
Secunda suscepit; iuuari, &c.

S. Paule.

O sancte ô alter Paule Petre, ô tuba
Cælestis, à te sanguine qua tuo
Signata, doctrina; iuuari, &c.

S. Andrea.

O sancte, diram qui biduum in crucem
Vixti impie à Proconsule Achaico
Sublatus Andrea; iuuari, &c.

S. Iacobe.

O sancte, iniqua quem Solymes prece,
Iacobe, victi perculit efferi
Securis Herodis; iuuari, &c.

S. Ioannes.

Feruentis in vas misse olei, dehinc

Cultu

Cultu carentem Pathmon in insulam,
O sancte Ioannes; iuuari, &c.

S.Iacobe.

O sancte, templi de Solymes tua,
Iacobe, praceps culmine qui datus,
Inde astra transcendis; iuuari, &c.

S.Philippe.

O sancte, sauis à Phrygibus cruci
Philippe fixe, & grandine ab horrida
Perempte saxorum; iuuari, &c.

S.Thoma.

O sancte Thoma, Persice, Medice,
O Parthice, ô Hyrcanice, ô Indicis
Hinc victor à telis; iuuari, &c.

S.Bartholomæe.

O sancte, viuo Bartholomae cui
Detraxit atrox Armenius cutem,
Caputq́; truncauit; iuuari, &c.

S.Matthæe.

O sancte Christi scriptor, ab inferis
Nata excitator Regia, & ad sacram
Matthae cæse aram; iuuari, &c.

S.Simon.

O sancte Simon, quo didicit Phares
Christum magistro, Persa neci dedit
Quem dirus ob doctum; iuuari, &c.

S.Thadæe.

O sancte Iuda, quo Babylon crucem
Christi magistro nouerat; impia

Dein Persis occidit; iuuari, &c.

S. Matthia.

O sancte, multo non sine quem Deo
Bis quinq; & vni heroibus addidit
Sors ducta Matthia; iuuari, &c.

S. Barnaba.

O sancte, sancto qui modò, Barnaba,
Paulo sodalis morte Cyprum tua
Dein consecrauisti; iuuari, &c.

S. Luca.

O sancte Luca, scriba Hominis-Dei
Aegro mederi non modò corpori
Edocte, sed menti; iuuari, &c.

S. Marce.

O sancte Christi, Marce, notarie,
Bis sex virorum Principis & Petri
Fidelis interpres; iuuari, &c.

Omnes SS. Apostoli.

O sancta bissenûm procerum cohors
Magnum per orbem iussa Dei & sacra
Vulgare missorum; precantum
Poscimus auxilium precantes.

Omnes SS. Euangelistæ & Discipuli Domini.

O sancte grex Christi Amanuensium,
Quemcumque & idem discipulum sibi
Magister adlegit; precantum
Poscimus auxilium precantes.

Omnes SS. Innocentes.

O grex, Rachelis, sancte, nepotuli,

Non

Non ore Christum, sanguine sed tuo
Professe iam natum; precantum
Poscimus auxilium precantes.

S. Stephane.

O sancte, Graio quem tua nomine
Ornat corona; & post Sobolem Dei
Primus cruor fusus; iuuari, &c.

S Laurenti.

O sancte, candens non adeò potis
Quem pruna, ut ardens in Superos amor
Torrere, Laurenti; iuuari, &c.

S. Vincenti.

O sancte, nullum quem pote, quamlibet
Horrendum & atrox, supplicij genus
Vicisse, Vincenti; iuuari, &c.

S. Fabiane.

O sancte, cessit cui rigidi malus
Error Nouati, sanguine nobilis
Fabiane dein fuso; iuuari, &c.

SS. Ioannes & Paule.

O sancta fratrum biga Quiritium
Cum, Paule, Iano, victima Apostata
Bina Imperatori; precantum
Poscimus auxilium precantes.

SS. Cosma & Damiane.

Fratrum ô medentum sancta Arabum dyas
Damiane, Cosma; post & aquam & rogum
Quos ensis occidit; precantum
Poscimus auxilium precantes.

SS. Geruasi & Protasi.

O sancte, multo verbere Geruasi
Perempte; ô ensis Geruasio tuo
Quem Protasi iunxit; precantum, &c.

Omnes SS. Martyres.

Sancte ô tui grex prodige sanguinis
Vitaq́ꝫ, vita tempore pro breuis,
Nunc compos aeterna; precantum, &c.

S. Siluester.

O sancte, cui bis pulsa Sabellij,
Photini & Arri Ecclesia debuit
Errata, Siluester; iuuari
Posse tuis precibus precamur.

S Gregori.

O sancte, gratus quem bene, Gregori,
Beda Anglicana gentis Apostoli
Honore donauit; iuuari, &c.

S. Ambrosi.

Sancte ô cruenti publice Caesaris
Reprensor, Insubrum Ambrosi & Arrii
A peste purgator; iuuari, &c.

S. Augustine.

O sancte, dono diuitis ingenî
Praelustris Augustine, duplex decus
Tagasta & Hipponis; iuuari, &c.

S. Hieronyme.

O, vt duobus nominibus tuis,
Sic re piè ipsâ & sancte Hieronyme,
Lux Dalmatis ingens; iuuari, &c.

S Mar-

S. Martine.

O sancte, tristi large inopum fami
Succurrere; ô mors ipsa ter horrida,
Martine, cui cessit; iuuari, &c.

S. Nicolae.

O sancte, matris non nisi lac semel
Quem quarta paruum sextaq; feria
Vidêre sugentem; iuuari, &c.

Omnes SS. Pontifices & Confessores.

O grex piorum Pontificum, ob sacrum
Grex ô IESV *fundere sanguinem*
Nomen paratorum; precantum
Poscimus auxilium precantes.

Omnes SS. Doctores.

Grex ô piorum sancta docentium,
Diuina quorum sollicitus labor
Nobis reclusit sensa; vestrum
Poscimus auxilium precantes.

S. Antoni.

O sancte cauti victor Alastoris
Fallaciarum & multiplicum artium im-
perterrite Antoni; iuuari, &c.

S. Benedicte.

O sancte, signum quo crucis ilico
Formante, potum desiliyt calix
Prabens venenum; iuuari, &c.

S. Francisce.

O sancte, Christi stigmata quattuor,
Ceu Paulus olim, corpore qui tuo

Francisce gessisti; iuuari, &c.

S. Dominice.

O sancte, deductum à Domino inclytum
Præsaga nomen cui genitrix dedit,
Depulsor errorum; iuuari, &c.

S. Bernarde.

O sancte, sermo melle suauior
Doctoris almum mellifluì dedit,
Bernarde, cui nomen; iuuari, &c.

Omnes SS. Monachi & Eremitæ.

Mundi abdicatis, sancta, tumultibus
Amplexa vitam turba monasticam,
Sanctiq; Eremitæ; iuuari,
Posse tuis precibus precamur.

Omnes SS. Sacerdotes & Leuitæ.

Sancta ô piorum Sacrificantium
Sub sempiterno Sacrifico cohors;
Sanctiq; Leuitæ; precantum
Poscimus auxilium precantes.

S. Maria Magdalena.

Christo abluisti quæ lacrymis pedes,
Comaq; tersisti, dum veniam rogas,
O sancta peccatrix; iuuari
Posse tuis precibus precamur.

S Lucia.

O sancta, fœdum quam nequiit stuprum,
Non pix, nec ignis lædere, Lucia,
Læsit nec ensis; nos iuuari
Posse tuis precibus precamur.

S. Agnes.

S.Agnes.

O sancta, fœdum quam nequiit stuprum,
Non ignis, Agnes, lædere, perculit
Non vicit ensis; nos iuuari, &c.

S.Cæcilia.

O sancta, casam, Cæcilia, impio
Ter ense, demum tertia quam tuo
Lux transtulit Christo; iuuari, &c.

S.Agatha.

O sancta, lamnis vsta, Agatha, igneis,
Cui trux mamillas forfice ferrea
Circùm abscidit tortor; iuuari, &c.

S.Catharina.

O pura re, ceu nomine, quinquies
Denos sophistas, inde rotam & necem
Quæ, sancta, vicisti; iuuari, &c.

S.Barbara.

O sancta, non re, nomine Barbara
Tantùm; sed ob Christum à patre barbaro
Perempta susceptum; iuuari, &c.

Omnes SS. Virgines & Viduæ.

Grex ô sacrarum candide Virginum, &
Quæ post priorem vos viduæ thorum
Christo sacrauistis; precantum
Poscimus auxilium precantes.

Omnes Sancti & Sanctæ Dei.

O vnâ ô omnes innumerabiles
Sancti atque Sanctæ, grata Deo cohors,
Apud Deum vestris iuuari

Posse

Posse rei precibus precamur.

PLACATVS *esto: parce tuis, Deus.*
Placatus esto: nos facilis, Deus,
Audi, & malo præsens ab omni
Eripe nos bone liberator.

Tu nos ab omni crimine libera,
Tu nos ab ira mole graui tua,
Tu nos ab illa, cui salubris
Non praeeat metanœa, morte,

Ab ira, ab omni nos odio, mali
Cunctis ad vnum Dæmonis à dolis.
Omnis facessat, te fugante
Praua procul procul ô voluntas.

A spiritu atra ardente libidinis,
A fulgure ira nos iaculo tua,
Fœdaq; tempestate serua,
A nece, & exitio perenni.

Per te, saluti Christe hominum à Patre
Datum atque natum, te per aquâ sacrâ
Tinctum, & quaterdenas ferentem
Esuriemq; sitimq; luces.

Per qua tulisti supplicia innocens,
Pendens per, in qua mortuus es, crucem,
Per te resurgentem sepulcro,
Per patrium repetentem Olympum.

Donum per Aura cælitis à Patre
A teq; missum, rebus in asperis
Solantis, & virtutem ad omnem
Et pietatem animantis Aura.

Tui

Tui supremo iudicij die,
Quo iusta cunctis præmia cognitor
Pœnásve decernes, precantes
Assere nos bone liberator.
SONTES *rogamus, lenis vt audias,*
Parcas, remittas, des veniam pius;
Indulgeas, des vt priorum
Pœniteat bene noxiarum.
Vt Christianum, sanguine quem tuo
Acquisiisti, è gentibus omnibus
Tibi euocatum, & consecratum
Vsque regas foueasq́ cœtum.
Apostolatus munus vt in tua
Ecclesia, omnem mysticum & ordinem
Serues in incontaminata
Relligione, tuiq́ cultu.
Vt perduellis, quisquis amat tuam
Aut frangere armis, subruere aut dolis
Ecclesiam, victricis vltro
Imperium subeat clienta.
Vt Christianis Regibus, omnibus
Et Christianis Principibus bonam
Concordiam digneris, omni
Et populo dare Christiano.
Vt omnium toto orbe hominum genus
Sincera Christi suscipiant sacra,
Mandata seruent; vnum ouile
Fiat, & vnus vbique pastor.
Auctoritatem vt obtineat suam

Ecclesia omnes sancta apud omnibus
Vna à Deo te patre mater
Et data Christicolis magistra.
Vt nosmetipsos seruitio in tuo,
Seu nox nigrescat, seu niteat dies,
Faxis & esse & permanere
Assiduos, alacres, flagrantes.
Nobis vt altos terram animos supra
Cælestia ad desideria erigas.
Vt omnibus fecere nobis
Qui bene, des bona sempiterna.
Vt nosque fratresque, vtque alios item
Nobis propinquos, ac benefecerint
Quicunque, condemnationi &
Exitio eripias perenni.
Telluris almæ vt munera prabeas,
Serueśque, non ad delicias eis
Sed ad tuum dans vti honorem,
Legitimamque necessitatem.
Vt sempiternam des requiem omnibus
Qui crediderunt se tibi. Vt audias
Has supplicum voces tuorum,
Te prece, te lacrymis rogamus.
Fili Agne Patris, sanguine qui tuo
Peccata mundi tollis, age ô Deus,
Peccata tollens supplicantum
Parce tuis bone, parce nobis.
Fili Agne Patris, sanguine qui tuo
Peccata mundi tollis, age ô Deus,

Audi

Audi precantes, lenis audi
Aurè tuos facili clientes.
Fili Agne Patris, sanguine qui tuo
Peccata mundi tollis, age ô Deus,
Age ô IESV, *nate summo*
Summe Deo miserere nostri.

Ἐλέησον, &c. vt suprà pag. 102.

O DEGIS *alto qui Pater æthere,*
Vbique nomen sanctificent tuum;
Vbique regnes. vtq; cælo
Fit tua, fiat & hîc voluntas.
Nobis diurnum des hodie cibum:
Nobis remittas debita nostra, vt &
Debentibus nos illa nobis
Ex animo veniæ parati.
Néve ille vt acer nos quatiat, sinas,
Tentator, omni libera at à malo;
O regnum, ô omnis cui potestas,
Gloria, laus, decus omne in æuum.

O GRATA *salue Stella maris Deo,*
Tecum Deus, tu fœmina fœminis
Beata præ cunctis: tui præ
Sancta viris vteri propago.
O virgo mater sancta Dei, ô Deo
Grex care Sancti, sontibus heu Deum
Orate pro nobis suprema
Non modò nunc, obitus in hora.

EIA, *ô adesdum, fer mihi opem Deus.*
Festinus accurre, accelera, ilicò

Pauore

Pauore percellantur omnes
Huic animæ exitium parantes.
Dent terga victi præcipiti fuga
Pudore fœdo, qui malè mî volunt:
Qui, si quid, heu! vis ferre sontem,
Euge bene, euge habet, euge clamant.
Contrà sed illis eueniat face
Faustè & secundè, prospera qui mihi,
Tuoq; pacem à te clienti
Non sine laude tua precantur.
Rex ecce quamuis, pauper egens ego,
Nec ipsa tollunt sceptra animos mihi,
Protector, adiutorq; serua
Me, Deus ô bone, ne morare.
Deo Patri sit gloria: Filio
Sit gloria: Aura gloria sit sacra
Nunc semper, æternùm, omniumq;
Sæcla per omnia sæculorum.
ARX *firma seruis sis Deus ô tuis,*
Spes omnis in te fixa quibus sua.
Nil in tuos æternus ille
Noster, vt est tuus, ausit hostis.
Sit quidquid in nos struxerit, irritum.
Néve vt merentur crimina nostra, agas
Nobiscum: iniquè aut facta iustis
Supplicijs rigidus rependas.
Seruare nostrum Pontificem Deus
Dignetur: illi fausta det omnia,
Vitamq; longæuam: profani

Neúe

Neue sinat, dominentur hostes.
Dignare, nobis qui faciunt bene
Tui almi IESV *nominis ob decus,*
Vitam suis in nos benignus
Reddere pro meritis perennem.
Cunctis quietem perpetuam Deus
Da, qui dederunt se tibi, mortuis.
Tu lux eis æterna fulge: in
Pace fac & requie quiescant.
Arx firma nobis hostis ab impetu
Tutare seruos, qui tibi se Deus
Credunt, & ancillas, eisq;
Mitte sacra auxilium è Sione.
Audi meam ô æterne Deus precem,
Et clamor ad te perueniat meus.
Oremus, attollamus alto
Ora animosq; manusq; cælo.
O SEMPER *vni cui miserarier,*
Ignoscere vni & parcere proprium,
Hauri tuorum lenis, hauri
Aure preces facili clientum.
Vt quos suorum vincula criminum
Ab debitores supplicij ligant,
Tua benignus pro paterna
Summe Deus pietate soluas.
AVDI *obsecrantes ô tibi supplices,*
Reisq; culpam parce fatentibus,
Ignosce, lugentum misertus,
Da veniam, miserisq; pacem.

Re-

Benignitatis, nulla sat explicet
Quam lingua, nos fac participes tuæ:
Nos noxia soluens ab omni,
Commeritis ob eamq́ pœnis.
Te nostra ad iram crimina prouocant;
Te pœnitudo mitigat ô Pater,
Audi eiulantes; audi: acerba
Flagra tua reprimantur ira.
Audi salus ô nostra Deus: Petri,
Pauli, ac virorum præsidio bonus
Nos protege vndenûm, dedisti
Credere quei tibi nos magistris.
CLEMENTIAM *erga se famulus tuus*
Fac Papa noster sentiat o tuam,
A te gregem curare iussus
Sanguine Christe tuo redemptum.
Vadentem in arctam dirige semitam
Quæ ducat ad te cum grege eum tuo:
Da semper optet, semper omni
Perficiat tibi grata nisu.
SANCTI *omnis ô desiderij dator,*
Omnisq́ recti consilij Deus
Iustiq́ facti: supplicamus,
Quam dare non potis iste mundus,
Des alme pacem. scilicet vt tui
Toto exequamur iussa animo tua:
Nullosq́ defensore, nullos
Vindice te timeamus hostes.
VRE *igne sancti pectora Spiritus*

Renesq́

Renesq́ nostros, ô Deus; vt tibi
Quâ seruiamus, quâ probemur,
Corpore casto, animoq́ mundo.

DEVS *qui honorem impendere nos iubes*
Patri atque matri, sis benus ô meis
Deo ortuis, & luce in alma
Me facito prope te viuere.

FIDELIVM *omnium conditor o Deus,*
Idem & redemptor, cuncta tuis sua
Delicta placatus ministris
Pro pietate tua remitte.

A te reatus vt veniam sui,
Quam semper optauere superstites,
Ad te frequentatis piorum
Obtineant precibus nepotum.

QVÆCVMQVE *agemus, flamine praueni*
Tuo, optime, adstans, prosequere adiuuans,
Te dicta nostra & facta ab vno
Cuncta fluant, refluant ad vnum.

O SEMPITERNE, *ô omnipotens Here*
Vescentium aura & luce carentium;
Clemens in omnes, quos tibi se
Credere, quosq́ te amare nosti.

His obsecramus, quos vel adhuc habet
Viuos hic orbis, corpore saeculum
Vel cepit exutos futurum,
Lenior vt precibus tuorum

Vna omnium te voce rogantium
Sanctorum, & omnis des veniam pius

Errati,

Errati, in æternoq; finem
Gaudia non habitura cælo.
Per te, Deo cum Nate Deus Patre
Mundi salus, & Principe Spiritu,
Qui viuis & regnas per omnium
Omnia sæcula sæculorum.
Omnes dederunt qui tibi nomina,
O Christe IESV, *da bonus vt bona*
In pace defuncti quiescant;
Hoc breue nos peragamus æuum.

FINIS.

